Offenſione.

A Q. Æmilianus Lepidus janua egrediens, incuſſo pollice limini cubiculi periit. *Plin.lib.7.cap.53.*

C. Aufidius, cùm egreſſus in Senatum iret, offenſo pede in comitio expiravit. *Idem.*

Fractura.

Adrianus martyr extinctus eſt crurifragio ſub Diocletiano Imperatore. *Martyrolog. Rom.4.Martii.*

Empedocles Agrigentinus, dum celebritatis cujuſdam cauſa Meſſanam curru proficiſceretur, cecidit, coxamque perfregit, & 77. ætatis anno Megaris obiit. Quamvis alii ſeipſum in Ætnæ crateres, immortalitatis, ſpe, præcipitaſſe tradant. *Laertius.*

Henricus Auſtriæ primus dux, victus à Conrado Znoymæ Marchione ad oppidum Auſtriæ Rhetium, ann. 1177. ad arcem ſuam per pontem properans, eo perrupto ex caſu equi, crure fracto, tertium poſt diem obiit. *Dubravius lib.13.*

Anno Domini 1370. Caſimirus Magnus Rex Poloniæ juxta Prezedboriam civitatem inter venandum, cervum inſequens, equo ſuccumbente pedem fregit, è quo vulnere ſpiritum exhalavit Cracoviæ, ibidemque ſepultus. *Guaguinus in vita Caſimiri Magni.*

B PEDIS, CRURIS, GENU, COXÆ
Vulneribus.

Cambyſes rex ex vulnere coxæ periit, quod accepit lapſo è vagina enſe, dum equum aſcenderet, quo antè Bovem Apim occiderat. *Herod. & Sab.lib.4.ca.2.*

Chiron in bello adversùs Centauros ictus ab Hercule, vulnus immedicabile accepit in pede: unde & periit. Hinc nata parœmia, auctore Zenodoto, de immedicabili malo, ut Chironium appelletur.

Ulceribus.

Miltiades Athenienſium dux contra Perſas, victor in Marathone, ex femoris ulcere, quod ex caſu ortum fuerat, periit. *Herodotus lib.6.*

Maurilius Cadurcenſis Epiſcopus, dum podagræ cauſa ferro candenti tibiam urit, vel exſiccandi humoris cauſa, vel certè uti per illud ulcus ſenſim humor vacuaretur, ſibimetipſi mortem acceleravit. *Aimonius lib.3.cap.34.*

Pius III. Pontifex max. ex ulcere cruris, è quo diù laboraverat, trigeſimo poſt creationem die diſceſſit; anno à Chriſto nato 1503. *Volat.lib.22.Anthrop.*

Henricus IIX. Anglorum rex multo abdomine gravis, & iners effectus, laceſſente atroci febre, propter ſævam inflam-
C mationem in crure virulentis herpetis, vitam cum morte commutavit, ætatis anno 57. Chriſti 1547. *Surius in commentario.*

ARTICULORUM. Puta.
Dolore, Arthritide, Podagra,
Gonagra, Chiragra.

Lycon, ſeu Glycon, philoſophus Socraticus, periit podagræ morbo, annos natus 74. *Laertius.*

Q. Ennium, jam ſeptuagenarium, de quo eſt apud Silium Apollinis celebre vaticinium hiſce verſibus.

Hic canet illuſtri primus bella Itala verſu,
Attolletque duces cœlo ——

articulari conſumptum morbo, Annales referunt, quem ex immodico vini uſu contraxerat. *Cælius lib.28.c.30.A.L.*

Tyrannio Grammaticus clarus Romæ, & dives, libros amplius XXXM. comparavit. Obiit ſenex, podagra confectus. *Suidas.*

D Sept. Severus Imp. deceſſit morbo articulari, ſeptuagenario major. *Herodianus.*

Lucianus Samoſatenus ſophiſta podagra conſumptus, annos octoginta natus. *Cognatus lib.6. Narrationum.*

Juſtinus Junior Imper. gravi pedum dolore, anno imperii ſui undecimo, obiit.

Alexius Comnenus Imp. ex pedibus graviter laborabat, Medici, cum diu, multumque inter ſe diſſiderent, tandem ferro curandum eſſe conſentiunt. Sed quia aer palatii Magni non ſatis commodus viſus eſt, in palatium Manganorum delatus eſt. Sive hoc caſu, ſive fato evenerit, impellente eum illic mori, & animam efflare. Ita enim vaticinio quodam de eo ſcriptum eſt, uſtum ferro illic caſurum: quod & evenit. Licèt monachi quidam vaticinarentur: non eum ante moriturum, quàm Hieroſolymas profectus, Salvatoris noſtri Chriſti Jeſu ſepulcrum adoraret, ibique diadema deponeret. *Cuſpin.*

Joanni Pontifici vita functo Siſinius, an.707. ſubſtitutus (aliis Zoſimus) ſævo pedum dolore jactatus, poſt viginti dies E è vita migravit. *Sigon.lib.2.regni Ital.*

Conradus II. anno imperii ſui XV. ex Italia revertens, podagræ cœpit incommodo turbari: & cum Trajecti eſſet, accedente pernicioſiore morbo finivit vitam, juſſitque extinctum corpus Spiram deduci ad Sepulturam. *Crantzius lib.4. Metrop. lib.8.*

Congallus Scotorum rex anno regni XX. expiravit articulari morbo, frigore, & multis laborioſis adversùs Saxones, & Britannos expeditionibus, contracto. *H. Boeth. lib. 8.*

Stephanus Palatinus Valachiæ graviſſimo pedum dolore extinctus eſt, vir magnitudine animi, aſtu, peritia rei militaris, & rebus contra Turcarum, Ungarorum, & Polonorum reges, ac Tartaros feliciter geſtis, omni ævo memorabilis: Cui Bogdanus filius luſcus in dominatu ſucceſſit. *Cromerus lib. 30.hiſt.Polon.*

Ferdinandus Gonzaga Mantuanus princeps, cujus forti, & fideli opera Carolus Cæſar feliciter multis annis uſus eſt, parta de Gallis ad S. Quintinum victoria, anno Salut. 1557. jam ætate gravis, & acerbiciſſimis articulorum doloribus affectus, belli conſilia cum morte commutavit. *Sabell. ſuplementum lib.29. ex Jovio.* F

NERVORUM
Reſolutione.

☞ *Vide, Paralyſi mortui, infrà.*

Convulſione.

☞ *Vide. Epilepſia mortui, infrà.*

CUTIS.

☞ *Vide Titulum Excoriatorum, ſuprà.*

MORS CONSIDERATA
RESPECTU PARTIUM AFFECTARUM
FORMÆ. Huc pertinent.
FEBRE MORTUI.

☞ *Conſule Tit. animi affectibus mortui. Nam, cùm reliquarum partium morbis lethalibus per conſenſum (ut Medici loquuntur) febris jungitur. tum iis præſertim, quæ ex ipſius cordis paſſionibus ortum ducunt. Item de iis, qui Veneno pereunt, intelligi debet.*

Manaſſes Judith heroinæ maritus, ex tribu Simeonia, cùm in agro meſſoribus adeſſet, æſtu tentatus, febre ardente periit. *Judith. cap.8.*

Antipater Sidonius poeta inſignis, omnibus annis uno tantummodò die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cùmque ad ultimam ætatem perveniſſet, natali ſuo certo illo circuitu morbi conſumptus eſt. *Plinius lib.7.cap.51.Val. Max. lib.1.cap.8.* G

Alexander Magnus, cùm Babylonem diem nocti potando junxiſſet, Herculis ſcypho nondum epoto, in febrem incidit. De cauſa ejus mortis non una eſt opinio. Ariſtobulus tradidit eum ſævitia febris ſitim collegiſſe, vinoque ab eo epoto mente alienatum, pridie Kal. Julii diem obiiſſe. *Sabell. lib.6.Enn.4.ex Curtio.*

Judæorum rex Alexander ex temulentia morbo contracto, & triennio integro quartana laborans, nec tamen abſtinens à caſtrenſibus officiis, tandem ex hauſtis viribus fato conceſſit in Geraſenorum finibus, obſidens Ragaba Caſtellum, quod ultra Jordanem ſitum eſt. *Ioſephus lib.13.cap.23. Antiq.*

Petronilla, Petri Apoſtoli filia, virgo, Romæ febre deceſſit. Petrus autem cur non ſuccurreret, ſicuti aliis interrogatus: Hoc ei præſtare, reſpondit. *Volat.lib.1.8. Anthrop. Martyrolog.Rom.31.Maii.* H

Titus Imp. omnibus charus, ſic ut eum publicas delicias vocitarent vulgò, periit poſt biennium, duos menſes, & XX. dies imperii, ætatis quadrageſimo ſecundo, febre correptus, in eodem, quo pater apud Sabinos, agro, ut *Tranquillus, & Sextus.* ſcribunt.

De Caro medico *Martialis Epigrammatum lib.10.*

Nequius à Caro nihil unquam, Maxime, factum eſt,
Quam quod febre perit: fecit & illa nefas.
Sæva nocens febris ſaltem quartana fuiſſet,
Servari medico debuit illa ſuo.

M. Antoninus Pius Imp. duodecim millibus paſſuum ab urbe apud Loricos in villa ſua febri mortuus eſt. *Aurelius.*

Tacitus Imperator apud Tarſum febri abſumptus eſt. *Sextus Aurelius.*

Con-

CONSTANTIUS Imp. Antiochia exercitum movens contra
A Julianum Apoſtatam incidit in febriculam ſemper æqualem, ratuſque eſt geſtatione eam aboleri. Vectus eſt lectica per invia, itinera, uſque ad radices Tauri montis. Ibi ad Mopſucrenas, febri ita aucta, ut corpus tangi non poſſet. Moriens Julianum ſucceſſorem nominavit, anno imperii trigeſimo octavo ætatis 40. *Ammianus lib.21.*

THEODOSIUS junior Imp. veluti longo imperii potentatu afflictus, febre ſolutus eſt, cùm regnaſſet annis XLVIII. Conſtantinopoli ſepultus, penè quinquagenarius. *Cuſp.*

LEO Conſtantini Copronymi filius, Imp: cùm inſaniret cupiditate precioſorum lapidum, magnam coronam vi è loco ſacro ablatam capiti impoſuit. Carbunculo correptus ſtatim circa caput, cum febre periit. *Sigebertus in Chron.*

FRIDERICUS II. Imp. in arce Florentina Apuliæ prope Luceriam febre obiit, *teſte Collenutio lib.4.hiſt. regni Neapol.* anno ætatis 54. Chriſti 1250. die S. Luciæ ſacro, XIII. Decembris. Etſi alii à Manfredo filio notho culcitra plumaria ſuffocatum ſcribant.

Lanfrancus Cantuarienſis Epiſcopus ſanctiſſ. febri expiravit, quod maximè in votis habuerat, ut aut febri, aut dyſen-
B teria vitam ſibi finire liceret, quòd hiſce linguæ uſus minimè ſubtraheretur. *Ranulphus lib.7.c.6. Polychronici.*

Robertus, Guiſcardus Calabriæ, & Apuliæ dux, victoriis inclytus, Corcyræ febre acuta periit an.Sal.1082. menſe Julio, jam ſexagenarius, *Collenutius lib.3.hiſt. Neapol.*

Philippus Auguſtus Francorum rex Meudontæ quartana obiit pridie Idus Jul. MCCXXIII. *Æmilius lib.6.*

Henricus I. Anglorum rex febre periit. *H.Boeth.lib.12.*

Ericus II. Danorum rex, ſacra peregrinatione Hieroſolymitana in inſula Cypro febre obiit. *Saxo lib.12.*

Valdemarus Daniæ rex nobiliſſ. febre correptus, cùm ſudore difflueret, animam reddidit. *Saxo Grammaticus lib.14. & 15. Crantzius lib.6.Danicæ hiſt.*

Alphonſus Siciliæ rex, ætate ingraveſcente febre correptus, anno Salut.1458. menſe Junio, in arce Lucullana, quam vulgò vocant Ovi, cùm Neapoli regnaſſet annis XVII. ex vivis exceſſit. *Ritius Neapol. lib.4. de Reb. Siciliæ.*

Martinus Aragoniæ, & Siciliæ rex, ducta uxore juvencula, quartana periit, quam ex filii Martini obitu immaturo acquiſierat. *Laur. Valla lia.2.hiſt.*

C Uladiſlaus Jagello Polonorum rex obiit valida febre correptus: cum nocte præcedente, quæ præter temporis rationem frigida fuerat, in Sylvis diutius luſciniæ cantu ſeſe de more oblectans cœli intemperiem pertuliſſet. *Cromerus lib.20.*

Laurentium Medicem Reip. Florentinæ principem torſere aliquandiu cœliaci dolores, ſubſequenteque mox lenta, atque tabifica frebre tertio, & quadrageſimo ętatis anno conſumptus eſt. *Jovius in Leone X. lib.1.*

Jo. Picus Mirandulæ Comes anno 1494. dum ſecundum, & trigeſimum ætatis annum impleret, Florentiæ inſidioſiſſima correptus eſt febre, quæ illum intra tertium decimum diem ſuſtulit. *Jo. Franciſcus in ejus vita.*

Rex Hiſpanię Philippus Caroli V. pater, juvenis firmiſſimo corpore, optimèque affecto, in ætatis flore paucorum dierum febri, Burgii in Hiſpania, anno 1506. menſe Novembri ſublatus eſt, *Guicciard.lib.7.*

Anno 1513. Julius II. Pontifex ex levi, ſed tenaci febricula fluente alvo periit. *Jovius in Leone.*

Joannes Sepuſius Ungariæ rex ad Sibinium, Myſię oppidum, ęger decumbebat: cùm allatum eſt reginam feli-
D ci partu miræ indolis puerum edidiſſe. Tum vero Hungari incredibili lætitia exultantes, regiam complent, ad regem gratulatum irrumpunt, tormenta de more diſploduntur, adveniunt è caſtris duces; gaudium in exercitu diſpenſatur, paraturque convivium, in quod vel invitus rex ipſe procerum cohortantium manibus infertur, id ei omnium lætiſſimum, atque ſupremum fuit. Nam cum feſtæ hilaritati, & perpotantibus amicis deeſſe nollet, incautius, ac liberalius genio indulſit: exinde revocata eſt febris, quæ jam planè defecerat, cujus vi oppreſſus eſt. *Jovius lib.19.Hiſt.*

Hercules Eſtenſis Ferrarienſium dux, cùm iter in Galliam adornaret, anno Sal.1559. ardenti febre abſumptus eſt, relicto Alfonſo. *Sab. ſupplem.lib.29.ex Jovio.*

Julius III. Pontifex medicorum conſilio temerè mutata victus ratione, febre correptus, è vita exceſſit. *Panvinius.*

Conſalvus Ferdinandus, qui ſolus inter ætatis noſtræ Imperatores Magni cognomentum egregia virtute promeruit, E dum gravantibus annis apud Illiberim in otio degeret, in duplicis quartanæ morbum, non quidem natura difficilem, ſed ſeni, præcipuèque ex eventu rerum minimè læto planè mortiferum incidit, traductuſque à Loxa Granatam climacterico ętatis anno 62. expiravit. *Jovius in ejus vita.*

Petrus Navarrus Hiſpanus, dux clariſſ. quartana mortuus. *Jovius in Leone X. lib.2.*

Chriſtophorus Longolius Meclinienſis Belga, Jurecoſſ. & orator ſummus, Patavii febre continua extinctus eſt, anno Sal. 1522. ætatis 34. *Auctor vitę.*

Jacobus Sadoletus Mutinenſis, Cardinalis à Paulo III. creatus, lenta febre autumnali periit, *Hieronymus Carimbertus in vitis Pontificum.*

PESTE EXTINCTI.

☞ *Conſule Tit. Strages magnæ ex morbo. Hìc morbi Forma, illic Multitudo ſpectatur pereuntium.*

In gravi illa peſtilentia, quæ bello Peloponneſiaco orta fuit Athenis, amiſit Pericles utrumque filium, Xanthippum, & Paralum, & amicos ferè omnes cum ſorore. Tandem & ipſum peſtis corripuit, non perinde, ut cæteros acris, nec acuta, ſed quæ lento morbo, diuturnoque, & ſæpius alternante corpus F ejus ſenſim conficeret, & vim obtunderet mentis. *Plutarch. in Pericle.*

M. Antonius Philoſophus Imp. opt. octavodecimo anno imperii ſui, & ſexageſimo primo vitæ; diem ultimum clauſit, apud Sendobonam, ex peſtilentia, ſexta die, quam ægrotaſſet, in Germania. *Cuſp.*

Oppianus poeta (qui de piſcibus ſcripſit) Roma in Ciliciam patriam reverſus, peſtilentia periit anno ætatis trigeſimo.

Peſtis an.388. L. Genutio Avernenſi, & Q. Servilio Ahala Coſſ. Cn. Manlius Capitolinus Imperioſus dictator creatus, figendi clavi gratia, anno poſtquàm M. Guttius in hiatum cum equo deſiliit, illuſtres viri plerique defuncti, & in his M. Furius Camillus, cujus mors, etſi grandis natu periit, acerba tamen fuit civitati: quippe vices ſua tempeſtate imperator, & in omni fortuna Romanorum omnium longè princeps, pace, belloque ante exilium clarus, ſed clarior in exilio factus. Qui ad auxilium patriæ revocatur, incredibili virtute ſe, & patriam reſtituit. Pari deinceps gloria quinque, & triginta annos vixit, Dignus, qui ſecundus à Romulo urbis conditor fuerit appellatus. *Sab.lib.3.Enn.4. & Plut.in Camillo.* G

Hoſtilianus Pepenna paulò poſt aſſumptum imperium eodem periit fato. *Sex. Aurelius.*

Fl. Claudius Imp. fortiſſ. & feliciſſ. finito bello Gothico, cùm graviſſimus undique morbus ex continuis ſtragibus invaleſceret, eo dicitur quoque morbo conſumptus interiiſſe, cùm duobus tandem regnaſſet annis. Sex. Aurelius tradit, Claudium juſſiſſe inſpici libros Sibyllinos: in quib. cùm morte primi in Rep. Romana morbus ceſſaturus diceretur, vitam ſuam devoviſſe pro Rep. ob id illi eſſe locatam in Capitolio ſtatuam auream, & clypeum aureum. *Cuſp.*

Conſtantinus Monomachus Imperator, unà cum conjuge Zoe peſtilentia ferè eodem tempore interiit. *Volater. lib. 13. Anthrop.*

Captis Hieroſolymis, rex creatus Codofredus de Bullion, Marchio S. Imperii peſtilentia, inſequenti anno orta, qui fuit Salutis 110. quintodecimo calendas Auguſti obiit, magno ſui apud Chriſtianos deſiderio, & ſancta etiam apud hoſtes memoria. *Æmilius lib.5.*

Tertio bello ſacro Hieroſolymitano an.1192. Fridericus dux Sueviæ, cum majore parte Germanici exercitus in Syria peſtilentia periit. *Sigon.lib.15.regni Ital.* H

Friderico I. in Italia Victorem Pontificem contra Alexandrum III. defendenti, cum Reinaldus Colonienſis, & Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopi ſuis copiis Romam oppugnarent, novem millia Romanorum cæſa feruntur. Ex cadaverum putredine ſæviſſima peſtilentia exercitum invaſit, & Epiſcopos, Colonienſem, qui auctor mali fuerat, Spirenſem, Ratiſponenſem, Pragenſem, Verdunenſem, ac Leodienſem tum duces, Fridericum Sueviæ ducem, Conradi Rom. regis filium, Uvelphonem juniorem, cum multis comitibus, ac baronibus abſumpſit. *Urſpergenſis. Cuſp. Crantz.lib.6.Sax.cap.24.Sigon. lib.14.regni Ital.* tertiæ expeditioni Italicę Friderici hoc tribuit, dum Paſchalis III. reſtituitur. an.1167.

Henricus VI. Imp. Neapolim obſidebat contra Tancredum, ex aeris intemperie exercitum invaſit lues dira: qua ſublatus

eſt Philippus Colonienſis Archiepiſcopus, & Otho dux Boe-
A miæ (in quibus erat robur exercitus) multis præterea nobiles, & vulgus militum ſine numero. Imperator ipſe morbo vexatus deplorato in Germaniam rediit. *Crantz.lib.7.Saxoniæ c.3.* Item Conradus Boemorum rex, Othonis patruelis, cùm domi principatum vix primoribus labris deguſtaſſet, *Dubravius lib.14.*

Dum Ptolemais obſidetur à Chriſtianis, Sibylla regina Hieroſolymorum, Balduini IV. ſoror, Guidonis Luſignani uxor, cum quatuor liberis ex Guidone ſuſceptis in caſtris periit. *Blondus lib.7. Dec.2.*

Lotharius Imp. ex Italia, victo Rogerio Siculo revertens Tridenti, ut *Crantzius* vult, peſte correptus, in viliſſimo quodam tuguriolo in ſylva animam reddidit, poſtquam rerum ſummæ annis præfuiſſet tredecim, anno Chriſti 1138. in autumno, *Urſpergenſis. Otho Friſingenſis, lib.7.c.17.18.19.20.*

D. Ludovicus Gallorum rex à ſecunda expeditione in Saracenos revertens, peſtilentia paſſim caſtra occupante, unà cum Joanne filio in Africa periit. *Æmilius.*

Mnatha Boemorum dux peſte obiit. *Dubravius lib.2.*

Barbara Sigiſmundi Imp. vidua, ſcelerata femina, in domicilio hæreticorum ex peſte apud Græcium defuncta, à ſacerdotibus Huſſitis Pragæ regum tumulis condita fuit, dignior porcorum ſterquilinio. *Crantzius lib.12. Vandal.c.6.*

B Joannes Ziſcha, apud caſtellum Priſcoviam, dum ad Sigiſmundum Imp. pacis cauſa proficiſcitur, peſte correptus expiravit. *Æn.Syl.c.46.hiſt.Bohem.Dubr.lib.26.*

Ladislaus Bohemiæ, & Ungariæ rex, XIIX. annos natus, cùm Pragæ Magdalenam Caroli Francorum regis F. cum qua nuptias celebraret, expectat, peſtilentia correptus, XXXVI. horarum ſpatio, poſtquam ægrotare cœperat, interiit. Medici Germani veneni ſigna adfuiſſe dixere. *Æneas Syl. c.71. hiſt. Bohem.*

Alphonsus XI. Hiſpaniæ rex, potitus annis circiter quadraginta, peſtis contagio obiit in obſidione caſtri de Gilbenar, eo die Veneris, quo Dominicæ paſſionis memoriam recolimus. *Ritius Meapolitanus lib.3.regum Hiſp.*

Jo. Andreas. I.C. nobilis, anno 1348. Bononiæ peſte obiit. *Crantzius. lib.9.Metrop. cap.26.*

Hippolitus Medices Cardinalis ex peſte obiit. *Jovius, lib. 34.*

Domitius Calderinus, patria Veronenſis, vir ingenio clariſſimus, cùm annos triginta natus eſſet, ſecretarius Apoſtolicus factus, peſtilentia obiit. *Volat.lib.21. Anthrop.*

C Hermolaus Barbarus peſtilentia Romæ expiravit. *Crinitus lib.1.*

Corn. Geſnerus Tigurinus Medicus, anno Chriſti 1565. die Decembris 13. (quæ quinta fuit morbi) cùm præter anthracem peſtilentem ſiniſtræ mamillæ imminentem, ſuoque fervore vicinas partes infeſtantem, nullam febrim, nullum dolorem ſenſerit, nunquam decubuerit, hora noctis XI. expiravit.

VULNERIBUS MORTUI,
conſideratis reſpectu

Subjecti.

☞ *Vide Tit. Vulneribus Capitis, Stomachi, &c. mortui, ſuprà.*

Efficientis.

☞ *Vide Tit. Abelluis interfectorum. Item. mutuis vulneribus mortui.*

Instrumentis.

☞ *Vide Tit. Gladio, Haſta, Telo, necati.*

Modi.

☞ *Vide Tit. Excoriatorum, Mutilatorum, Diſcerptorum, Securi percuſſorum.* D

Magnitudinis. Mortui vulnere
Levi.

Appion Alexandrinus Grammaticus, qui Judeorum circumciſionem irriſit, cùm tandem Ægyptiorum more circumciſus eſſet, inflammatione inguinum oborta pœnas dedit blaſphemiæ. *Joſephus lib.2.contra Appionem.*

Calojoannes Græcorum Imp. Tarſi Ciliciæ venatione corpus exercens, in aprum ſagittam venenatam dirigens, læve vulnus inflixit. Certam alioqui mortem averti poſſe medici teſtabantur, ſi manus præcideretur, antequam peſtis reliquum corpus pervaderet. Auguſtus negavit unimano Cæſare terras rectè regi poſſe. *Æmil.lib.5.* At *Nicetas* paulò aliter.

Joannes Comnenus Imp. dum venaretur, apro ſolitario venabulum in pectus adegit. Qui cum ictum urgeret, & totum ferrum in viſcera recepiſſet, manus Imp. impetu ferę reflexa, pharetram delatere obliquè ſuſpenſam, & venenatis telis refertam evertit: perſtrictaque una ſagitta cute extremorum E digitorum, vulnus principio neglectum, membranæ calcibus detractæ impoſitione, quam excoriationem vocant, medicatus eſt, qua ancipiti ratione ſaniem cruentam vulneris reprimere, conabatur. Tandem verò tumeſcente, & ardeſcente vulnere, cùm præter alia etiam ſectio adhiberetur, ex eo mortuus eſt. *Nicetas Choniates de Imperio ejus.*

Orcannes Turcorum Rex Burſiam civitatem egregiam (hæc Pruſa vetuſta ſedes regum Bithyniæ fuit) expugnavit. Tandem ex vulnere in ea ipſa expugnatione accepto, quanquam leve videretur, occubuit, atque Amurathi filio victoriam fruendam reliquit. *Jovius in vita Orcanis.*

Theodorus Paleologus Cardinalis Montisferrati, ſub Paulo II. in cœna oſtenſurus archimagiſtro rationem diſſecandi cibos ordine, cùm manum dextram ad cultrum cibarium è pariete pendentem extenderet, imprudens eam aciei impegit, & vulnere levi accepto in ſummam corporis imbecillitatem lapſus, anno exacto vitam finivit, ſub Sixto IV. *Garimb.lib.4. de Vitis Pontif.*

Multitudinis. Confecti
uno vulnere.

Totilas Gotthorum rex, prælio victus ad Apenninum à Narſete eunucho, cum quinque militibus fugit. Quem inſequuti ſunt nonnulli, quanquam quiſnam eſſet, ignari. Ex quibus Asbadus Gepida ipſum adeptus, ut telo feriter, invaſit. F Quem ut vidit adoleſcentulus ex Totilæ familia, Quò canis, inquit, irruis dominum tuum percuſſurus; At ille nil territus, quanta maxima vi potuit, in Totilam telum intorſit: at à Sipuardo Totilæ comite in pede vulneratus, conſiſtere eſt compulſus: Sipuardum autem mox alter Asbadi comes percuſſit. Reliqui quatuor Asbado in caſtra referendo intenti, curſum intermittunt, Totilas lethali vulnere affectus, ſtadiis octoginta quatuor confectis, cùm ad Capras veniſſet, menſe Auguſto ex vulnere moritur: atque à ſuis comitibus terra reconditur. Hic Totilæ exitus fuit, poſtquam annos undecim inter Gothos regnavit, & res magnas, ac memorabiles geſſit. Romanis occaſum Totilæ ignorantibus femina Gothica indicavit, & locum, ubi ſepultus fuerat, demonſtravit. Itaque, effoſſo loco, cadaver extraxerunt, eòque cognito, iterum condiderunt, & rem Narſeti nunciarunt. *Sigon.lib.19.Imp.occid.*

Pluribus vulneribus.

C. Julius Cæſar tribus, & viginti plagis confoſſus eſt, uno G modo ad primum ictum gemitu ſine voce edito. Etſi tradiderunt quidam, M. Bruto irruenti dixiſſe, ϗ σὺ τέκνον. Exanimis diffugientibus cunctis aliquamdiù jacuit: donec lecticæ impoſitum, dependente brachio, tres ſervuli domum retulerunt. Nec in tot vulneribus, ut Antiſtius medicus exiſtimabat, lethale ullum repertum eſt niſi, quod ſecundo loco in pectore acceperat. *Suetonius.*

Nahodabeguca, Princeps illorum, qui ſimulacrorum ſuperſtitione conflictati, à Mahumetis ſacris abhorrent, cives Malacenſes ad Luſitanorum perniciem ſolicitarat: contra regem Malacenſem conſpiratione inita, exilio ſolum verterat. In mari ab Alfonſo Albuquercio, Indiæ prætore, deprehenſus, multis vulneribus conciſus ita cecidit, ut nullum ſanguinem è H vulneribus emitteret. Cùm verò Luſitani illum nudaſſent, & armillam ex auro factam, in quam erat lapis quidam incluſum, detraxiſſent, magna repente vis ſanguinis ex illius vulneribus emanavit. Lapis ex beſtiis quibuſdam eruitur, quas Siamenſes Cabriſias appellant, qui mirificam ad ſanguinem ſiſtendum vim continere dicitur. Sed hæc armilla, quam regi Emmanueli, cum duobus leonibus ex ferro affabrè factis deſtinarat, in naufragio prope Zamatram periit. *Oſor. lib.7.& 8.rer.Em.*

ULCERIBUS MORTUI VARIIS, Utputa
Lepra, Elephantiaſi.

Conſtantinus V. Imp. Copronymus cognomine periit elephantiæ morbo, cum imperaſſet an.35. *Volat. lib.23. Anthrop.* Unde fortaſſe nata eſt illa de lepra Magni Conſtantini vana opinio, ob ſimilitudinem nominis. *Platina.*

Phroilla rex Hiſpaniæ, morbo lepræ correptus interiit *Ritius lib.2.Regum Hiſpanorum.*

Balduinus IV. Regum Hieroſolymorum ſeptimus, lepræ morbo correptus, & omni ſpe prolis abjecta, occidit: *Ritius de Regibus Hieroſolymorum.*

Medejus

Medejus, unus ex iis, qui Joannam puellam Gallicam An-
A glorum domitricem flammis adjudicaverant, lepra infectus, miſerè expiravit. *Valerandus Varanius lib.4.*

Dominici Sylvii Venetorum Ducis Uxor, luxurie, & deliciis inſignis, tanto putredinis fœtore repleta eſt, ut eam nemo ſanus ferre, nec ullis odoramentis arceri valuerit: quo malo miſerè aliquandiù torta expiravit. *Vincent. lib.20.cap.53.*

Robertus I. Scotorum Rex, ex lepra, quæ extrema illum ætate corripuerat, fato conceſſit: vir omni genere virtutis apud gentes ſua ætate clariſſimus. *H.Boethius lib.14.*

Florentius Nurſiæ Provinciæ ſolitarius urſum habebat ſibi inſervientem. Invidentes hoc ei quidam, beſtiam interimunt. Is nil aliud dixiſſe fertur, quàm ſperare ſe eos Deo ulciſcente commiſſum luituros. Et mox cædis rei lepra confecti, paucos poſt dies verſis in ſaniem corporibus contabuere. *Marul.lib.5.cap.2.*

B
Phthiriaſi, Morbo pediculari.

Æthiopes Acridophagi locuſtis victitant. Appropinquante ſenecta, pediculi alati, non ſolùm viſu varii, ſed ſpecie horrida, ac turpes in corporibus nati, ventrem primò, tùm pectus, deinde totum corpus parvo tempore exedunt. Qui morbum patitur, primùm veluti ſcabiei cujuſdam pruritu allectus, corpus ſcalpit, voluptate ſimul, & dolore perceptis. Deinde exorientibus pediculis, ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate, ac dolore percitus, unguibus corpus magno cum gemitu lacerat. Tanta verò vermium copia effluit, aliis ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcaturientibus, ut deleri nequeant. *Diod. lib.3.cap.3.*

Antiochus Epiphanes Aſiæ Rex, qui fanum Hieroſolymitanum Jovis Olympii ſtatua profanavit, & Judæos ad internecionem delere ſtatuit, ex Perſide re malè geſta fugiens, inteſtinorum dolore graviſſimo correptus, minas majores ſpirans, Hieroſolymam properabat. Verùm in itinere è curru delapſus, tanta putredine affici cœpit, ut vermibus è corpore ſcaturientibus fœtorem aſtantes vix poſſent ferre. Cœpit tum erratum ſuum confiteri, & ſeſe Judæorum Deum coliturum, templum, quod diripuiſſet, longè magnificentius inſtauraturum vovit. Verùm ſimulata pœnitentia Deum per-
C movere non potuit, ſed deſperabundus in mediis montibus vitam infelicem finivit. *2. Macb.9.*

Herodes Aſcalonita, Rex Judææ, Antipatri filius, poſt interfectos Alexandrum, Ariſtobulum, & Antipatrum filios, trucidatos item innocentes, ad intercipiendum ſacrum Virginis partum, vermibus ad extremum toto corpore ſcatentibus periit. Lento calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quàm intus popularetur viſcera: aderat & vehemens voracitas, cui neceſſe eſſet continuò cibos ſuggerere: ſimulque vexabatur inteſtinorum exulceratione, & colicis paſſionibus. Pedes tumebant phlegmate humido, & pellucido, ſimiliterque inguina. Ipſa quoque verenda putrefacta ſcatebant vermiculis, accedente fœda, nec minus moleſta tentigine, non ſine fœtore graviſſimo. Super hæc omnia nervorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. *Joſephus lib.17.cap.8.Antiq.& ſeq.*

Herodes Antipas ſedens pro tribunali, & veſtitus veſte regali, concionabatur ad populum: populus acclamabat, Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quòd non dediſſet honorem Deo. Et con-
D ſumptus à vermibus expiravit. *Act.5.*

Acastum Peliæ filium, feruntex antiquiſſimis phthiriaſi interiiſſe. *Plut.in Sylla.*

Alcman unus ex clariſſimis Græciæ Poetis, hac etiam fœditate periit. *Plin.lib.11.c.33.& Plut.in Sylla.*

Pheretima Batti F. Cyrenæorum Regina, cùm ob interfectum filium ſuum Arceſilaum tyrannum Barcæos ope Perſarum victos crudeliſſimè ulta eſſet, vivens vermibus abſumpta computruit. *Herod.lib.4.*

Pherecydes Syrus, Pythagoræ præceptor, pediculari morbo correptus, primùm emiſit ſudorem calidum, viſcoſum, & mucori ſimilem: poſteà verò prorſus belluinum. Tandem pediculi creverunt: cumque carnes in pediculos diſſolverentur, ac fœda, jam turpiſque facies evaſiſſet, abſtinuit à conſortio familiarium, & eos fugiebat. Ad eum graviter affectum cùm viſendi gratia Pythagoras diſcipulus adveniſſet, ac πῶς διακέοιτον, quonam pecto haberet, eſſet ſciſcitatus? protendens is digitum per januam, χροῒ δῆλα, Ex corpore, inquit palàm eſt. Quod & parœmiodes apud philoſophos mox eſt factum, ſed ita, ut deteriora ferè indicentur. De hoc extat Q. Sereni carmen: E

Sed quis non paveat Pherecydis fata tragœdi?
Qui nimio ſudore fluens, animalia tetra
Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt.

Ex Strab.lib.12. & Græcorum ferè omnium auctoritate inſulam Syrum patriam habuit, unam Cycladum, proximè Delon. Stephanus Jonicam eſſe inſulam docuit in Acarnania, & gentile nomen inde produci, Syrius *Cæl.lib.14.c.13. A.L. Ælian lib.4. & 5. de Var.hiſt. & Heraclides in Polit. & Plin.lib.7.c.51.*

Οἱ Πλάτωνος φθεῖρες, id eſt, Platonis pediculi, in proverbium abierunt: ut referente Laertio in vita hujus philoſophi teſtatur Myronianus in opere, cui titulum fecit de Similibus, hinc conjectans hoc morbo periiſſe Platonem, quòd vulgò pediculi Platonis appellarentur. *Eraſm. in Adagiis.*

Cassander Antipatri F. Rex ſceleſtiſſimus, qui Olympiadem Alexandri matrem, & Alexandri filios interfecit, ex hydrope in phthiriaſin incidens periit. *Pauſan. in Bœot.* F

Callisthenes Olynthius, dum carceris cuſtodia teneretur: præterea & Mutius juriſconſultus, eadem tabe paſſim membrorum corroſi ſunt. *Plut. in Sylla.*

Speusippum Eurymedontis filium, Athenienſem philoſophum, Platonis ex ſorore nepotem, ſunt qui dicant mortem ſibi intuliſſe. Plutarchus tamen effervеſcentibus toto corpore pedicalis interiiſſe.

Plemminius legatus à Scipione Locris cum præſidio pop. Rom. præfectus, cùm templum Proſerpinæ opulentiſſimum diripuiſſet, vinctus Romam Senatu jubente ductus eſt, carcerique incluſus pediculari morbo, ante cauſæ dictionem, miſerè periit. *Livius lib.9.ſecundi belli Punici, & Valerius Maximus lib. 1.cap.2.*

L. Sylla Metrobium Lyſiodum licèt exoletum non diſſimulabat perpetuò amare. Unde etiam morbum aluit ex levi ortum occaſione, & perdiù exulcerata viſcera ſua ignoravit. Hinc putrefactum corpus, & in pediculos totum verſum: ut cùm multi interdiù, & noctu tollerent eos, nulla parte potuerit tamen, quod reiiciebatur, æquare illud, quod ſuccedebat: verùm omnes veſtes balneum, pollubrum, cibus, illo repleretur fluxu, & tabe: adeò ſuppullulabat. Ideò ſæpiùs die ingrediebatur balneum, abluens, & abſtergens corpus. Cæterùm nihil G proficiebat, ſuperabatque copia omnem purgationem. *Plut. in Sylla. Plin. lib.7. Nat. hiſt. & 11.c.33.* ſcribit Syllam periiſſe, erodente ſeipſo corpore, & ſupplicia ſibi gignente.

Fama eſt, eum, qui bellum ſervile movit in Sicilia, fugitivum, Eunum nomine, poſtquam attractus Romam captivus eſt, morbo pediculari abſumptum. *Plut. in Sylla, & Diod.*

Galerio Maximino Cæſari, in Chriſti nomen arma moventi, putrefactis introrſum vitalibus (Egnat. genitalia habet) ex auribus, ore, naribuſque non aliter, quàm ex putredinis cloaca vermes continuè ſcaturiebant, intolerabili cum fœtore, quocunque deferretur. Cùm nulla medicorum ope levaretur, ſibiipſi manus intulit.

Julianus, Juliani Apoſtatæ avunculus (qui Antiochiæ in templo ſacram menſam lotio demiſſo profanaverat, Euzojo Epiſcopo, ob id eum objurganti, alapam impegerat) non multò pòſt gravi correptus morbo inteſtinorum putreſcentium, miſerè interiit, eſcrementis non ampliùs per meatus ſuos, ſed per os ſceleratum egredientibus. *Theodoret.lib.3.c.13. Sozom.* addit *lib.5. c.8.* etiam ejus carnem putrefactam in vermes converſam eſſe: qui in profundo H abditi, vivam carnem tantiſper depaſti fuerint, donec eum interemerint.

Hunnericus Vandalorum Rex, Arianus, in Africa phthiriaſi periit, cùm 444. Catholicos Epiſcopos in exilium egiſſet. *Sigebertus.*

Arnulphus VII. à Carolo Magno Imperatori, Normannis perdomitis nimio ſucceſſu elatus, ita contumax in omnes, tum vel maximè Eccleſiaſticos factus eſt, ut Dei nutu pediculari morbo brevi conſumptus ſit. *Plat. ex Sigeberto, & Avent.lib. 4. Annal.Bojor, Crantz.lib.2.Metrop.c.22.* ob ſocietatem Ungarorum contra Moravos introductorum hoc illi accidiſſe ſcribit. *At lib.3.c.3.* Saxoniæ ex immodico alii eſu. Alii tradunt, profligatis Formoſi Pontificis hoſtibus à proditore, quodam veneno potionatum, evicto per triduanum ſomnum pharmaco, in phthiriaſin poſteà incidiſſe.

In Avernenſi civitate, Projecti Epiſcopi occiſor Radbertus vivus eſt vermibus corroſus, & conſumptus. *Vincent.lib. 22. cap.119.*

Fulche-

Fulcherius Noviomagenſis Epiſcopus in Gallia, morbo
A pediculari interiit: cujus cadaver cùm pediculis ſcaturire non ceſſaret, cervino corio inſutum, terræ mandatum eſt. Magnum punitæ ambitionis, & ſimoniæ exemplum, inquit *Jacob. Meyer in Chronica Flandriæ*.

Leostanus adoleſcens, famam de crinibus, & unguibus Edmundi regis Anglorum ſenſim creſcentibus in dubium vocans, ſibi corpus oſtendi minis impetravit. Eo viſo, in amentiam incidit, & phthiariſi haud multò pòſt periit. *Vincentius lib.25. cap.22.*

S. Lambertum virum ſanctiſſimum Epiſcopum Ultrajectenſem, apud Leodium, quòd Pipinum reprehenderet, qui uxori pellicem Alpiadem ſuperinduxiſſet, frater Alpiadis Dodo necavit, & poſteà morbo pediculari conſumptus eſt. *Platina ex Sigeberto.*

Lambertus Conſtantienſis Epiſcopus phthiriaſi (ut Bruſchius annotat) periit, anno 1017. juxta Contractum.

Napus Turrianus Mediolanenſium tyrannus, ab Otthone Vicecomite captus, clatratæque caveæ incluſus, poſt annum unum, menſes ſeptem, & dies 23. in eo ſquallore, fœda illuvie,
B & enatis ſubinde pediculis conſumptus eſt. *Iovius in vita Otthonis Vicecomitis.*

Antoninus Picens Monachus eremita, hypocrita, Phthiriaſi periit, sub Alphonſo Aragonum, & Siciliæ rege. *Ant. Pannorm. de reb. geſt. Alphonſi, & Æneas Sylvius in Comment.*

Gallico morbo.

Fridericus Caſimiri Polonorum regis F. Gneſnenſis Archiepiſcopus, Cardinalis, aſpectu decoro, ingenio nullo, iners, ignavo otio marceſcens, ad extremum morbo Gallico confectus eſt anno 1503. *Cromerus lib. 30.*

Carbunculo.

L. Paulo, Q. Marcio cenſoribus, primùm in Italiam carbunculum veniſſe, annalibus conſcriptum eſt, peculiare Narbonenſis provinciæ malum: quo duo conſulares obiere, Julius Rufus, & Q. Lecanius Baſſus: ille medicorum inſcitia ſectus, hic verò pollice lævæ manus evulſo acu ab ſemetipſo, tam parvo vulnere, ut vix cerni poſſet. Naſcitur in occultiſſimis corporum partibus, & plerumque ſub lingua, duritia rubens varicis modo ſed nigricans capite, aliàs livida, corpus intendens, neque in-
C tumeſcens, ſine dolore, ſine pruritu, ſine alio, quàm ſomni indicio, quo gravatos in triduo aufert, aliquando & horrorem afferens, circaque puſtulas parvas, rarius febrem: ſtomachum, fauceſque cùm invaſit, ocyſſimè exanimans. *Plin. lib.26. cap.1.*

Constantinus Copronymus Imper. ob tyrannidem contra imaginum patronos pœnam ſenſit. Nam carbunculus pedem ejus corripuit, & ardentes febres cum infeſtantes è medio ſuſtulerunt, cùm annos triginta quatuor, & tres menſes rerum potitus eſſet. *Zonaras tom. 3. & Paulus Diaconus lib. 22. Ivo in Chronico, Blondus Decad.2. lib.1.* elephantiæ morbo eum correptum, & aduſti, ſpumantiſque ſanguinis vitio putridam carnem, nervos, & oſſa deſtituiſſe, eumque ulceribus repleviſſe, tradit

Henricus V. Imp. ann. 1126. morbo dracunculi, quo tentari ſolebat, vehementiùs affici cœpit, & ad Pentecoſten Ultrajecti peragendum tranſgreſſus, 12. Kal. Junias morbo ingraveſcente deceſſit. *Sigon. lib. 10. regni Ital.*

Herpete, Ulcere depaſcente.

Eſſe Plotinum humanis perfunctum, ſcribit Firmicus,
D cùm per totam ejus cutem magnis humoribus nutrita peſtis erupit, ut putre corpus deficientibus membris, corrupti ſanguinis more tabeſceret, perque omnes dies, ac horas, ſerpente morbo, minutæ viſcerum partes defluerent: & quidquid paulò ante integrum videras, ſtatim confecti corporis exulceratio deformaret: ut ſic corrupta, & diſſipata facie, tota ab illo figura corporis diſcederet, ac in mortuo (ut ſic dicamus) corpore ſolus ſuperſtes retineretur animus. *Cælius lib. 12. cap. 10. Antiq. Lect.*

Cyrinus Epiſcopus Chalcedonenſis, Joan. Chryſoſtomum conviciis plurimis proſcidit. Factum eſt, non multò pòſt, ut Maruthas Meſopotamiæ Epiſcopus imprudens pedem illius calcando læderet. Malo augeſcente, crus ei abſciſſum fuit. Verùm altero quoque pede eo malo correpto, etiam & is reſectus fuit. Corrupit deindè univerſum corpus tabes. *Socrates lib.6. cap.27. Sozomenus lib. 8. cap.27. Nycephorus* hanc calamitatem ſuis in Chryſoſtomum contumeliis acceptam tuliſſe Cyrinum, refert *lib.13. cap. 14.*

TUMORIBUS.

Judas Iſcariothes prodito Chriſto ſeipſum ſuſpendio affe-
E cit. Verùm ſuperventu quorundam ſervatus, quotidiè diſcipulis reliquis ad pœnitentiam eum hortantibus, non obtemperans, poſteaquam Dominum in cœlos aſcendiſſe audivit, illico ita intumuit, ut medius crepans perierit. *Cedren. in Hiſt. Compendio.*

* Cæterum de morte Judæ proditoris variæ ſunt ſententiæ, ambigit enim *Aug. in q.94. ex q. novi Teſtamenti*, an mortuus fuerit ante Chriſti reſurrectionem. *Theophylact.* ſcribit arborem inclinatam cum ſe ſuſpenderet, quam ficum arbitrantur, vulgus Sambucum fuiſſe contendit, atque ita ſupervixiſſe, & aqua intercute repletum, ut medius creperet, hydrope extinctum poſt Chriſti reſurrectionem. *Papias*, ut *refert Oecumenius*, rupto laqueo ſupervixiſſe ait, & curſu comprehenſum, cum corpore inflatus eſſet, crepuiſſe medium, & ita corpore tumuiſſe, ut lumen ex oculis non videret, & toto corpore vermes ſcaturirent, adeòque tetrum odorem ex corpore defuncti exhalaſſe, ut prædium, in quo infelicem ſpiritum emiſit, nec habitari, nec coli, nec præteriri ſine nauſea potuerit. Igi-
F tur omnes in hoc conveniunt, quod medius crepuerit: neque quiſquam meminit pœnitentiæ per eum actæ. Immò impœnitentem deceſſiſſe ſcriptura commemorat apud *Luc. Act. 1. v.18.* Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & vocatur filius perditionis à Chriſto, *Ioan. 17.* Attamen Evangelio, & eidem Scripturæ magis quadrat, quod poſt relatos argenteos ad laqueum cucurrerit, & ſeipſum præcipitando ſtrangulaverit, & præ motus, aut caſus vehementia, ac tumentis corporis pondere, fiſſus, ſua viſcera diffuderit. Indicat id *Naz. in Chriſto patiente, & Anaſt. Sinaita l.6. Hexam.* De genere autem mortis cauſam reddit *Arator. & Bern.* ut in aere periret. -- *Cœlum, terramque peroſus, & Auguſt. lib.50. hom 27.* Quia, ut laqueo reſpiratio, ita prohibetur deſperatione Spiritus S. Videatur *Beda in c.1. Actor. Drogo Card. Tract. de paſſ. Domini. Nazianz. orat. in S. Athanaſ.*

FRACTURIS MORTUI.

☞ *Conſule tit. Rotæ ſupplicio affecti. Item, Fractura Pedum, Coſtarum mortui.*

Quidam Romæ ad beſtias damnatus, ut ſe ea crudelitate, ludibrioque eximeret, quemadmodum Seneca ſcriptum reliquit, cùm curru ad theatrum deportaretur, dor-
G mire ſe fingens, adeò caput inclinavit, ut inter Rotæ radios illud involueret, rotaque vertendo collum ejus frangeret. *Fulg. lib.9. c.12.*

INSANIA QUACUNQUE, MANIA, PHRENESI.

Calydonii populari væſaniæ morbo, qui ebrietati ſimilis erat, correpti perierunt, idipſum precibus impetrante à Libero patre Coreſo ſacerdote in urbe Achajæ Calydone, cùm Callirrhoen ad ſui amorem, neque precum neque munerum ullo genere flectere potuiſſet. *Pauſanias in Achaicis.*

Theodericus Oſtrogothorum rex, Symmacho, atque Boethio interfectis, cùm ei in cœna magni piſcis caput appoſitum eſſet, viſus eſt ſibi in eo Symmachi caput videre, inferius labrum in minitantis ſpeciem mordentis: quemadmodum ipſe medico Elpidio faſſus eſt. Ea imagine territus, in cubiculum relatus, ad extremum uſque timore, & mœrore confectus obiit. *Sigonius.*

Michael Balbus, qui in Leonem V. Imp. filioſque ejus crudelis fuit, ac multis aliis piis calamitatem attulit, tandem phrenitide, ac inteſtinorum dolore pœnas luit. *Zo-
H naras tom.3.*

Lotharius Italiæ rex, an.949. in phreneſim incidit, ac mox è vita migravit. *Sigonius lib.6. regni Ital.*

Miecislaus II. Polonorum Rex amentia correptus ex jugi crapula, anno Chriſti 1034. Poſnaniæ obiit. *Crom. lib. 3.*

Antonius Baſſejus cùm ei alæ equitum præfecturam Rex Galliæ Ludovicus XI. quam in Italia contra Hiſpanos duxerat, ademiſſet, quanquam ea Gruerio fratri traderetur, adeò graviter id tulit, ut exundante atrabile ad inſaniam verteretur, fruſtraque depoſcens, ut ſibi dicturo cauſam regiæ aures paterent, nec aditum impetrans, inter delitia defecit. *Iovius in Conſalvo.*

Petrus Portucarreus Hiſpanus, cùm Auguſtinam quandam adamaſſet filiam magæ, eamque poſtmodum dimiſiſſet, quòd mater ob veneficia publicè virgis cæſa eſſet: cœpit ita animo torqueri, ut perpetuò exiſtimaret hanc, quam amaverat, ſuo lateri incumbere: atq; ea de cauſa ſtrenuus alioquin eques, obequitando perpetuò pendebat ſuper latus. Tandem ex diuturno

tædio

tædio in morbum incidit. Ajebat autem, ſi adduceretur amaſia,
A ſe ſuper futurum. Sed illa recuſante, contabuit. *Cardanus de Rer. Variet. lib.15. cap.80.*

APOPLEXIA, PARALYSI, LETHARGO CATOCHO, CATALEPSI MORTUI. Siderati.

☞ *Symptomata hæc à Medicis accuratè diſtinguuntur. Ab Hiſtoricis non item, qui perſæpè Apoplexiam cum Paralyſi, & Sideratione confundunt. Quorum nos hìc auctoritatem licet parum explicatam ſequi, quàm illorum acribologiam cogimur.*

Nabal ex metu, quem ob Davidis Regis indignationem conceperat catocho, ſive catalepſi comprehenſus obriguit. *1. Reg. 26.*

Alcimo Pontifici ſceleratiſſimo, qui Demetrium Soterem contra Judæos inſtigavit, volenti demoliri veterem adyti parietem, ſanctorum vatum ædificium, morbus divinitus inflictus eſt, per quem repentè voce privatus in terram procidit, & cruciatus non paucis diebus miſerè periit, poſt exactum in Sacerdotio quadriennium. Quo defuncto, pontificatum po-
B pulus communibus ſuffragiis Judæ Machabæo tradidit. *Joſephus lib.12. cap.17. Antiq.*

Lacydes Cyrenæus, novæ Academiæ princeps, Arceſilai auditor, à puero maximè ſtudioſus, tenuit ludum annis XXVI. Exceſſit ex paralyſi, Olymp. CXXXIV. *Suidas.*

M. Livius Druſus, cùm ex gratia in invidiam veniſſet, anxius quoque, ut Latinorum poſtulata differret, qui promiſſam civitatem flagitabant, repentè in publico concidit, ſive apopleticus, ſive hauſto ſanguine caprino, ſemianimis domum relatus. *Volat. lib. 16. Urbanorum Com.*

T. Quintius Flaminius Thebas ingreſſus cum exercitu, Thebanos, quaſi urbe non potiretur, affatus eſt: ſuadens, ut in partes Romanorum diſcederent, adjuvante Attalo Rege, & Thebanos incitante. Sed Attalus quidem, cùm præter ætatem majore contentione oratorem Quintio præſtare vellet, & vertigine quadam, vel pituita eſſet in media oratione correptus, collapſus eſt: nec multis diebus poſt in Aſiam navibus devectus expiravit. *Plut. in Flaminio.*

P. Papinianus Statius pater anno 65. lethargo obiit.

L. Verus Antonius Imp. contra Marcomannos profe-
C ctus apud Alpes ſpectans urbicas voluptates, ſtatuit Romam repetere. Sed in itinere apoplexia correptus, Altinum divertens triduo mutus fuit, moxque periit, anno imperii XI. *Capitolinus, & Herodianus.*

Constantius Imp. rebus Parthicis occupatus, ad bellum civile contra Julianum Apoſtatam converſus, apoplexia in itinere obiit, inter Ciliciam Cappadociamque, in Mopſucrene oppido, anno imperii quarto, & vigeſimo, ætatis quinto, & quadrageſimo. *Platina.*

Attila Hunnorum Rex, cùm in nuptiis ſuis nimirum crapulæ, & veneri operam dediſſet, erumpente per apoplexiam ſanguine de naribus, in lecto ſuffocatus eſt. *Sigeb. in Chron.*

Valentinianus Imp. in Gallia Bregitione oppido, cùm Quadorum legationem, qui latrocinia excuſabant, paulò attentiùs audiret, ſubita ira accenſus incidit in morbum: areſcentibus venis, cùm nihil ſanguinis educi poſſet, voce amiſſa, ſenſu integer expiravit, anno ætatis quinto, & quinquageſimo, cùm imperaſſet annos XI. *Cuſp. ex Marcel.*

Aristulphus Longobardorum Rex, dum Pipini Gallorum Regis ex Italia abitum expectans dolum meditatur, interce-
D pturus conſuetis artibus urbes, apoplexia medio venatu, vel (ut alii) ictu fulminis abſumptus eſt. *Cuſp.*

Carolomannus Rex Bavariæ, & Italiæ paralyſi oppreſſus, anno Sal. 880. VII. Nonas Aprilis, in Bavaria ad Odingas occubuit, vir religioſiſſimus, & literis eruditus, & laudis bellicæ haud expers. *Sigon. lib.5. Regni Ital.*

Henricus I. Imp. cùm iter Romam meditaretur, adverſa valetudine correptus, convocato omni populo, Othonem filium ſuum Regem deſignavit, rebuſque omnibus compoſitis tactus paralyſi, obiit anno ætatis ſuæ LX. imperii XVII. Salutis DCCCCXXVII. ad 6. Non. Julii. *Cuſp.*

Stephanus Presbyter in locum Zachariæ I. Pp. ſubſtitutus, de more in Lateranum delatus, gravi repentè ſomno oppreſſus eſt. Poſt triduum cùm experrectus res familiæ componere aliquando inſtituiſſet, ſubitò mente alienatus vocem amiſit, & poſtridie ejus diei expiravit. Ut proinde inter Pp. non referatur. Succeſſit ei Stephanus Diaconus. *Sigon. lib.3. Regni Ital. Platina.*

Phillipus Vicecomes, Mediolanenſium Princeps, apoplexia periit ſexto Idus Auguſti, M. CCCC. LVII. *Platina in*
E *Martino V.*

Martinus V. Pontificatus ſui anno 14. menſe 3. Rom. apoplexia mortuus, ætatis ſuæ ſexageſimo tertio. *Platina.*

Vicelinus Epiſcopus Aldenburgenſis, Vandalorum Apoſtolus, in cœnobio Falderæ paralyſi correptus eſt lateris dextri, & linguæ. Duobus annis, & dimidio decubuit, ſed ut miſſarum ſolenniis, & communioni ſacræ ſemper alieno miniſterio adeſſet, tantis gemitibus, & interno cordis clamore, ut ſpectatores vix à fletu temperarent. Obiit ann. 1154. *Crantz. lib 4. Vand. cap.18.*

Venceslaus VI. Boemorum Rex audiens conſulum Pragenſium cædem, ac è prætorio crudelem præcipitationem, pincerna dicente, ſe hoc præſciviſſe futurum, pugione eum interficere decreverat. Ex ira in paralyſim incidens, pòſt dies XIIX. veluti porcus in volutabro animam exhalavit, anno ætatis LVII. cùm regnaſſet LV. annos in Boemia: in imperio autem viginti, anno Chriſti 1419. *Cuſp.*

Mathias Ungarorum Rex bellicoſus, intulit bellum Auſtriis, exercitum Friderici Imp. fudit, munitiones Auſtriæ pleraſque, & in his caput gentis Viennam in poteſtatem ſuam re-
F degit, Novam urbem obſedit. Verùm dum ea obſidetur, ipſe Viennæ die Palmarum ſacris operam dans, quibus ſex circiter horas interfuit, ad languorem declinandum ficus popoſcit, iiſque, quòd carioſæ eſſent, primo morſu vehementer offenſus, oborta capitis vertigine, apoplexia correptus eſt. Ingentes ea nocte mugitus edidit. Ingruente demùm aurora dolore ceſſante totum diem mutus, & reſupinus inſomnem egit, Tertiò pòſt die è profluvio ſanguinis narium, animam efflavit, anno 1490. ætatis XLVII. regni XXXVII. In agone pilula, nucis inſtar, è ſtomacho repentè elevata cùm ad epiglottim aſcendiſſet, eum ſuffocavit. *Crom. lib.29. & Bonfin. lib.8. Dec.4. Dubr. lib. 31.*

Franciſcus Petrarcha Arquati oppido Euganeo apopleticus obiit jam ſeptuagenarius, anno Salutis 1374. *Squarzaficus in ejus vita.*

Joannes Albertus, Polonorum Rex, apoplexia vitam finivit anno 1501. *Crom. lib. 30.*

Joannes XIV. Aragonum Rex, in montes venatum profectus, cùm lupum venatores occidiſſent, & is lupus, an lupa
G eſſet, à venatoribus quæreret, repentè mortuus, mula, qua vehebatur, decidit. *Marinæus lib.11. rer. Hiſp.*

Nocte, quæ octavum diem April. anni 1498. anteceſſit, apoplexia Carolus VIII. Rex Galliæ, Ambroſiæ repentè mortuus eſt: dum pila ludentes ſpectat. *Ritius lib. 3. Reg. Francor. Guicciar. lib.3. Hiſp.*

Ferdinandus I. Aragonius, Rex Neapolitanus, an. 1494. apoplexia repentè ſublatus eſt, curis magis, quàm ætate confectus: qui regnum à patre Alphonſo I. partum, multis difficultatibus, quæ per regni initia extitere, ſuperatis, conſervarat. *Guicciar. lib.1.*

Amurates Turcarum Rex, Mahometi II. filius, obiit in convivio ictus apoplexia, quam nimia vini conciverat copia, anno 1450. *Chalcocondylas lib. 7.*

Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis, Philoſophus, medicus, Poeta clariſſimus ſeptuagenario major, IIX. Idus Aug. an. Chriſti 1553. dum panderet, apoplexia correptus eſt. Poſt multas autem herbas in olfactum balbutiente lingua efflagitatas, amiſſo penitus ſermonis uſu, manu ſæpiùs in verticem exporrecta, iis, qui aderant innuere voluit, ut celeriter cucurbitula affecto, & laboranti cerebro ſuccurrerent, quo
H remedio ille ſe quenquam curaſſe adhuc meminerat. Sed re adſtantibus nequaquam intellecta, leniter ſub noctem expiravit. *Auctor. vit.*

Æneas Vicus Parmenſis, antiquariorum noſtro ſeculo facilè princeps, cùm apud Herculem Ducem Ferrariæ urnam fictilem antiqui operis, imaginibus, & literis inſignem, manibus tractaret, & explicaret, apopleticus corruit, magno cum venerandæ Antiquitatis dolore, quæ illius induſtria, de palingeneſia jam non dubiam ſpem conceperat.

Joannes Cornarius Zuiccavienſis, cujus cura totus Hippocrates primùm Latinè loqui cœpit, apopleticus obiit, anno 1558. XVI. Martii.

Conradus Lycoſthenes Rubeaquenſis, cùm ſeptem annis ante dextero latere reſolutus ſcribendi facultatem ferè amiſiſſet, linguæ tamen, pedumque uſu recepto, tandem an. Chriſti 1561. VIII. Kal. Aprilis, apoplexia graviſſima correptus, horæ ſpatio vitam cum morte commutavit, ætatis ſuæ anno 43.

EPI-

EPILEPSIA.

A Himerius Bithynus ſophiſta, Juliano Imp. familiaris, obiit in extrema ſenectute comitiali morbo. *Eunap. in vitis Sophiſtarum.*

Mahometus impius, Dei manu vindice eum inſectante, incidit in morbum epilepticum, quo laborare ſolebat frequentius, ut Joannes de Oppido indicat. Senſum amiſit, venter ejus intumuit, minimus digitus incurvatus eſt retrò: & die à morbo decima quarta expiravit, an. Dom. 632. *juxta Sigeb. in Chron.* cùm regnaſſet apud Saracenos annos decem. *Chron. Sarac.*

Jo. Matthæi de Gradis, medici clariſſ. Filius, infans adhuc repentino tubarum clangore territus, in comitialem incidit, & decimo die obiit. Teſtatur *Pater in Com. 10. ad Almanſorem, cap. de Phrenitide.*

CALORIS nativi extinctione.

☞ *De hæc ſuperiore Loco egimus, quatenus Mortis inſtrumenta in corpus agunt, Calorem vel extinguendo, vel reſolvendo, vel ſuffocando.*

PERTURBATIONUM vehementia.

B ☞ *Has ipſas inter Inſtrumenta Mortis ſuo loco ſemel connumeravimus. Inde igitur petantur exempla, cùm reſpectu tantùm ſit diverſus.*

EXTENUATIONE, EMACIATIONE, Tabe univerſi corporis.

☞ *Hìc Auctricis, & Nutricis defectum conſideramus. Quatenus verò vel Hepatis, vel Pulmonis vitia hic affectus ſequitur, ſic ad illarum partium morbos referri debet.*

De Meleagro ſcriptum Homerus reliquit, Altheæ matris imprecationibus diris confectum è vita exceſſiſſe. At alii adjutos ab Apolline contra Ætolos Curetas, ab ipſo Apolline occiſum Meleagrum narrant. Torrem verò à Parcis Altheæ datum, quo demum igni conſumpto, Meleagrum extingui neceſſe foret, & illum torrem ab Althæa acri ira concitata exuſtum: primus omnium verſibus mandavit Phrynichus, Polyphadmonis filius, cùm Pleuronem fabulam docuit. *Pauſ. in Phoc.*

Theutis Arcadum Dux bello Trojano, cùm inter eum, & Agamemnonem ſimultates eſſent, cohortem ſuam domum reducturus erat. At Pallade conante retrahere eum, præ ita C dicitur deæ femur percuſſiſſe. Rediens igitur domum, lethali tabis morbo extinctus eſt. *Pauſ. in Arcad.*

Phayllus cùm bello ſacro Phocenſium Onomarcho fratri ſucceſſiſſet, miſerè contabuit. Erat inter ſacra Delphici templi donaria à Phocenſibus direpta pervetus effigies ex ære hominis, cui, carne conſumpta, ſola eſſent reliqua oſſa: ajebant Delphi ab Hippocrate medico dedicatam. Huic Phayllus ſe ſimilem factum videre viſus eſt. Ac paucis pòſt diebus macie contabeſcens, ſomnii eventum implevit. *Pauſ. in Phocicis.*

Tiberius II. Imp. cùm cucurbitas ſerotinas vitiatas ediſſet, in tabem incidens mortuus eſt. *Cedrenus.*

Herodes, cognomento Julius, genere Æacides, Athenienſis è Marathonio municipio, ſophiſtes obiit anno ætat. circiter LXXVI. tabe confectus. *Suidas.*

Leo Magnus Imperator profluvio ventris laborans, intùs atrocibus conficiebatur cruciatibus. Quoties in matulam deſidebat, ſive ante, ſive pòſt eum ignis eſſet, is per ventrem ejus, & dorſum pellucebat: adeòque extremè attenuatus, vivendi finem fecit. *Cedrenus.*

D Venceslaus IV. Boemorum Rex, tabe periit, ſanctitate conſpicuus, miraculis clarus. *Æneas Sylvius Hiſt. Boem. c. 28.*

Hungus Pictorum Rex, extinctus eſt diutina tabe conſumptus. *H. Boethius lib. 8.*

Adrianus Turnebus, Græcarum literarum in Acad. Pariſienſi Profeſſor regius, cujus 24. libri Adverſariorum doctiſſimi extant, cùm ex intempeſtivis ſtudiis in phthiſim, falſo catarrho jugiter in pectus decumbente, incidiſſet, longo confectus morbo, tandem anno ætatis ſuæ LIII. Chriſti verò M.D.LXV. prid. Idus Junii, Lutetiæ expiravit, & abſque omni funeris pompa (uti ſuprema voce mandaverat) elatus, in Scholaſticorum cœmeterio conditus fuit. Cujus mortem boni omnes luxerunt, & elegantiſſimis etiam Epitaphiis per compita affixis ornarunt.

Gabriel Fallopius, in Patavina ſchola Chirurgiæ Profeſſor, anno 1561. Juvenis cujuſdam, qui lenta tabe, & aſthmate perierat, thorace aperto, quatuor lapides fabæ magnitudine latos nonnihil, & tuberoſos, cinereos, & ſubduros reperit. *Ioannes Kentmannus de Calculis in humano corpore.* E

CONCOCTRICIS DEBILITATE, OPPRESSIONE, SUFFOCATIONE.

☞ *Vide Tit. Repletione mortui.*

DIOGENES Canis cùm polypum crudum comediſſet, ob ventris dolorem mortuus eſt. *Athen. lib. 8. c. 6.*

CLODII Pulcri filius nequiſſimus abdomine avidè devorato impurum reddidit ſpiritum. *Valer. lib. 3. c. 5.*

SEVERUS Imp. dum membrorum omnium, maximè pedum dolorem pati nequiret, loco veneni cibum plurimæ carnis incoctæ avidiùs devoravit: quem dum concoquere non poſſet, crudelitatem paſſus expiravit. *Sextus Aurel.*

CATARRHI defluxu.

SOBIESLAUS Boemorum Princeps, cùm in arcem quandam ſuam, juxta Heradecium oppidum ſitam, gravedine, & deſtillationibus laborans ſeceſſiſſet, ibi controverſiam inter Henricum Olomucenſem præſulem, & Uratislaum Brunnenſem Marchionem, compoſiturus, invaleſcente capitis dolore Pragam deportatus obiit, anno 1139. *Dubr. lib. 11.* F

VOMITU CIBI, HUMORUM, Stercoris, Sanguinis.

☞ *Vide Tit. Sanguinis effluxu mortui. De Volvulo, ſub iis, qui Inteſtinorum morbis periere.*

TIMAGENES Alexandrinus Grammaticus, ſub Pompejo captivus Romam ductus, periit ex vomitu poſt cœnam. *Volat. lib. 20.*

Anno XII. Conſtantini Copronymi Imp. impius, & profanus ille Pontifex Anaſtaſius, anima cum corpore pereunte, mortuus eſt, ex miſerrimo morbo, qui cordapſus dicitur, merdam per os egerens, dignaſque dedit pœnas ſuarum in Deum, & præceptorem Germanum Patriarcham injuriarum. *Cedren.*

ALVI PROFLUVIO QUOCUNQUE.

☞ *De hoc quoque ſuperius egimus. Illic Loci affecti, hìc Symptomatis ratio habetur. Dyſenteriam peſtilentem, pete è Tit. Peſtilentiæ memorabiles.*

TACHOS Ægyptius in Perſas profectus, cùm ejus nationis ciborum inſolentiam ferre non poſſet, dyſenteria correptus, vitam cum morte mutavit. *Ælian. l. 5. de Var. Hiſt.*

AUGUSTUS Imp. profluvio ventris in eodem, quo pater, G cubiculo, Nolæ mortuus eſt anno ſuæ ætatis 76. *Sueton.*

VESPASIANUS Imp. conſulatus ſuo nono Cutylias, ac Reatina rura, ubi æſtivare quotannis ſolebat, petens, cùm ſuper urgentem valetudinem creberrimo frigidæ aquæ uſu, & inteſtina vitiaſſet, nec eo minùs muneribus Imperatoriis ex conſuetudine fungeretur, ut etiam legationes audiret cubans: alvo repentè uſque ad defectionem ſoluta, per jocum, Imperatorem ait ſtantem mori oportere, dumque conſurgit, ac nititur, inter manus ſublevantium extinctus eſt. IIX. Kal. Julii annum gerens ætatis ſexageſimum, ac nonum, ſuperque menſem, ac diem ſeptimum. *Idem.*

PETILIUS Cerealis, Veſpaſiani legatus in Britannia contra Scotos, ventris profluvio extinctus. *H. Boethius lib. 4.*

TRAJANUS Imp. apud Seleuciam, quæ poſteà Trajanopolis dicta eſt, dum rediret ex Syria, profluvio ventris deceſſit, anno imperii XX. *Volat. lib. 31. Anthrop.*

MISITHEUS ſocer Gordiani, vir doctiſs. & bellicoſiſs. occiſus eſt inſidiis Philippi, qui per Medicos curavit (quoniam H effuſione alvi laborabat) ut cùm poculum juberetur ſiſtendi ventris gratia accipere, poculum daretur, quo magis ſolveretur: atque ita exanimatus eſt. *Cuſp.*

ARIUS Armodii filius, hæreſiarcha, quo die Conſtantinopoli cum Alexandro Catholico Epiſcopo diſputandum erat, dum levare ventrem vellet, in ſella familiari cum fæcibus omnia inteſtina effudit. *Fulg. lib. 9. c. 12.*

MILITES Beliſarii in Africana expeditione contra Vandalos avaritia, & inhumanitate Joannis Prætorio præfecti diarrhœa ex pane vitioſo perierunt: periiſſentque omnes, niſi Beliſarii providentia alios panes dare juſſiſſet. *Procop. lib. 3.*

D. LUDOVICUS Francorum Rex profluvio ventris obiit peſtilente. *Æmil. lib. 7.*

LEO III. Iconomachus cum quatuor, & viginti annos imperaſſet, dyſenterico fluxu miſerè animam efflavit. *Cuſp.*

LEO V. Imp. cœliaco morbo periit, cùm annos regnaſſet quinque, & viginti, cum tribus menſibus. *Idem.*

Michael

Michael Thraulus cùm annis octo, & menſibus novem cru- A deliſſimè imperaſſet, correptus phrenitide, profluvio ventris animam excæcavit, filio ſuperſtite relicto. *Idem.*

Theophilus Imp. ob infelicem pugnam cum Agarenis, per multos dies ab omni cibo abſtinens, ſolo frigidiſſimæ aquæ potu uſus, in dyſenteriam incidens obiit. *Idem.*

Henricus VI. Imp. cum uxore, & filio Friderico II. Siciliam ingreſſus, cùm venationi indulgeret, menſe Auguſto, ad calorem leniendum, in terram noctu ſtratus, Meſſanæ diarrhœa correptus, obiit anno imperii octavo, Panormi ſepultus, anno Salutis MCXCIIX. *Idem.*

Otho IV. Imp. dyſenteria mortuus. *Idem.*

Henricus VII. Imp. eodem ſymptomate periit.

Albertus I. Imp. contra Turcas Serviam infeſtantes ducto exercitu, ubi expugnatam Synderoviam, Turcas abiiſſe cognovit, dimiſſo exercitu Budam rediit. Sed inſolito ferventis Auguſti calore vexatus, dum peponibus nimiùm oblectatur, in alvi fluorem incidit, ſentienſque periculum, moriturus in patria Viennam repetere ſtatuit. Iter ingreſſus, cùm jam Strigonium præteriiſſet, in villa, quæ Longa dicitur, condito teſtamento deceſſit, anno 1439. B *Æneas Sylvius cap. 56. Hiſt. Boem. Cuſp. Crantz. lib. 12. Vandal. cap. 8.*

Fridericus III. Imp. ex ætate, ac labore, fluxuque veteri, in tibia gangrænam acquiſivit. Nam pede illo ſæpiſſimè clauſtra, foreſque, ac portas omnes fregerat. Quatuor menſibus continuo dolore agitato, tibia ferro aufertur. Die Virgini Mariæ ſacro, quam religioſius ſemper conſueverat venerari, ab omni alio cibo abſtinens, octo melones comedit (quibus quatuor occubuerunt Cæſares) inſuper aquam bibens: in ſtomachi incidit dolorem, mox in dyſenteriam, & ſic Lincii expiravit. 19. Auguſti, an. Sal. 1493. ætatis LXXIIX. Imperii LIII. *Cuſp.*

Stephanus Ungarorum Rex, Thatharem Chunorum Ducem, ob benè navatam in bello adverſùs Græcos operam, magno in pretio habebat, tantùmque cæteris Chunis indulgebat, ut pro libidine in Ungaros graſſarentur. Ungari Regis decumbentis ſalute deſperata, Chunos viciſſim malè tractarunt. Thathar apud Regem jam aliquantum refocillatum de Chunorum cæde queritur. Rex, quamvis morbo penè conſumptus, ad Chunorum lamenta ingemuit: pollicitus, ſe recuperata C valetudine, pro ſingulis Chunis denos Ungaros capitali ſupplicio affecturum: & fidei cauſa dextram porrexit. Quam cùm Chuni certatim prenſarent, ea preſſa tantùm defatigatus eſt, ut redintegrato profluvio ventris, paulò poſt vita deceſſerit, anno regni ſui XIIX. Salutis 1131. *Bonfin. lib. 6. Dec. 2. Hiſt. Ungar.*

Anno 645. Dagobertus Francorum Rex profluvio ventris Spineti propè Sequanam periit, ſepultus in æde D. Dionyſii, quam extruxerat. *Chron. Franc.*

Samſonem Chilperici Regis filium, dyſenteria expiraſſe, teſtis eſt *Gregor. Turonenſis.* Idem ſcribit, Auſtrigildem Reginam eodem modo periiſſe.

Ferdinandus II. Aragonius, Neapolitanus Rex, bello à Gallis petitus, multis militiæ laboribus confectus, in villa apud Veſevum montem, dyſenteria laborare cœpit. Erat habitu corporis ad perferendam omnem adverſæ rei contumeliam valdè firmo: ſed cùm intemperantiùs novæ nuptæ, quæ Ferdinandi avi filia erat complexibus indulſiſſet, & jam fermè peſtilens eſſet autumnus, vim morbi ſuſtinere non potuit. Neminem Regum Majoribus omnis generis hominum, aut D certè verioribus lachrymis tumulatum ferunt, quod ille tanta animi, corporiſque virtute præditus, in medio ætatis flore, ipſoque partæ victoriæ, ac recepti regni limine, cùm maximè primùm laboris fructum capere deberet, iniqua fatorum lege fuiſſet extinctus. *Jovius lib. 4. Hiſt.*

Robertus Malateſta, Xyſti IV. copiarum Dux, cùm Alfonſum Aragonium, Ferdinandi Neapolitanorum Regis F. in agro Veliterno acie viciſſet, in magna, atque ardenti ſiti immoderatiùs aqua hauſta, dyſenteria correptus periit. *Brutus lib. 7. Hiſt. Florentinæ.*

Pius II. expeditione contra Turcas ſuſcepta, Anconæ alvi profluvio periit. *Campanus in ejus vita.*

Maximilianus II. Imp. duodecima Januarii, poſt noctem mediam, an. Sal. 1519. ſpiritum ſuum Deo reddidit, profluvio ventris (ut olim Fridericus ejus pater) anno ætatis quinquageſimo nono menſe nono, die viceſima prima, Imperii verò trigeſimo ſecundo. *Cuſp.*

SANGUINIS PER QUASCUMQUE PARTES EFFLUXU.

E ☞ *Vide Tit. Vulneribus mortui.*

Pharnuches, equitatui Xerxis contra Græcos Præfectus, cùm Sardibus proficiſceretur, canis ſub pedes equi intercurrit: quo equus territus, ſeſeque attollens, Pharnuchem excuſſit. Hic collapſus, ſanguinem evomuit, & in phthiſin incidit. *Herodot. lib. 7.*

Ariſtobulus Judæorum Rex, cùm matrem, & fratrem Antigonum, quem alioqui ſummoperè amabat, principatus libidine occidiſſet, dum factum ſuum continenter deteſtaretur, creſcentibus doloribus ſanguinem vomuit. Eum quidam è miniſtris efferens ad Stratonis turrim prolapſus, in eo ipſo loco effudit, qui Antigoni cædis cruenta habebat veſtigia. Quo facto, ingens eorum, qui viderant, clamor exoritur, quaſi data opera puer illic effudiſſet ſanguinem, ita ut clamoris cauſam ſciſcitaretur Ariſtobulus. Omnibus autem dicere tergiverſantibus, tantò magis contendebat cognoſcere. Tandem ubi minis, ac terroribus expreſſit, ut faterentur veritatem: conſcientia graviter ictus animum, plurimas effudit lachrymas: & gemitum ex imo pectore ducens: Ergo non latet Deum, inquit, meum impium, ac ſcelera- F tum facinus, quando tam citò repoſcor ad pœnas cognati ſanguinis. O corpus impudens, quouſque retinebit animam, quam materni ſimul, ac fraterni manes flagitant? cur non ſemel eam reddis, ne ſic per partes opus ſit libare meum ſanguinem, atque ita parentare oppreſſis per nefas, & parricidium? Vix ea fatus erat, cùm exhalavit animam, uno tantùm anno in regno exacto, *Ioſephus lib. 13. cap. 19. Antiq.*

L. Cornellius Merula conſularis, & flamen dialis, ne ludibrio inſolentiſſimis victoribus eſſet, in Jovis ſacrario venis inciſis, contumelioſæ mortis denunciationem effugit: ſacerdotiſque ſui ſanguine vetuſtiſſimi foci maduerunt: *Val. lib. 9. cap. 12.*

Pætus Thraſeas Patavinus, vir Catoniana diſciplina, & ſeveritate, propter ſuſpicionem affectatæ libertatis à Nerone damnatus, ſibi venas ſolvit.

Luc. Anneus Seneca, 114. ætatis anno, à Nerone juſſus, ſibiipſi mortem conſciſcere, venas ſibi in brachiis, & malleolo aperiri curavit. Verùm cùm ſanguis propter frigiditatem conſtrictus tardiùs egrederetur: venenum inſuper G ebibit. Quod tamen cùm propter conſtrictionem pororum, & venarum ad cor penetrare non poſſet, in balneum calidum deſcendit, cujus beneficio pori aperti, & venenum ad cor deductum, & ſanguis liberrimè effluxit. *Tacitus lib. 15.*

Adrianus Imp. familiari morbo, ſanguinis è naribus eruptione tentabatur: eodemque extinctus eſt, ob nimiam refrigerationem, hydropiſi tandem ſuccedente. *Dion.*

Quintillius, Claudii II. Imp. frater, Auguſtus eſt à Senatu appellatus. Cæterùm paucis diebus, quibus ad id decus evectus eſt, Aquilejæ ſibi venas ſecuit, cùm audiviſſet Aurelianum Imp. ab exercitu ſalutatum. *Sabell. lib. 7. Enn. 7.*

Florianus Imp. qui Tacito ſucceſſit, dolens Probum militiæ peritum à magna exercitus parte fuiſſe electum, ſibiipſi venas incidit, effuſoque ſanguine conſumptus eſt. *Aurelius.*

Valentinianus Imp. ſenior, qui cum Valente fratre annos XI. imperavit, iracunda vocis contentione contra Sauromatas arteriam rupit, & copioſo ſanguinis vomitu in caſtro Bergitio obiit. *Socrates lib. 4. cap. 31.* H

Grimoaldus Longobardorum Rex, nono die, poſteaquam medicis curantibus, in lacerto venam aperuerat, cùm arcu columbam peteret, aperta repentè vena, tantùm effudit ſanguinis, ut cum ſanguine vitam quoque ageret. *Fulg. lib. 9. cap. 12. ex Paulo Diacono.*

Athalaricus Gothorum Rex, cùm Chriſtianos tyrannicè perſequeretur, ſanguine per totum corpus erumpente, ſceleſtum exhalavit ſpiritum.

Attila Hunnorum Rex, ex Scytharum genere, Pannoniam ſubegit: poſtmodùm Italiam ingreſſus, Aquilejam ſubvertit, & plurimas civitates Galliæ, & Germaniæ deſtruxit. Tandem domum reverſus, cùm vino plenus novis nuptiis operam daret, effuſo de naribus multo ſanguine ſuffocatus eſt. *Blondus lib. 2. Dec. 9. & Sigebertus in Chron.*

Alexander Baſilii Macedonis filius, qui defuncto Leone V. fratre, in Imperatorem electus eſt, ſanguine è naribus erumpente ob ſaturitatem extinctus eſt. *Volaterranus lib. 23. Anthrop.*

Anno

Anno tertio Irenæ Imperatricis, Stauracius tyrannidem A eſt molitus. Quod cùm reſciviſſet Irene, omnibus ejus conſuetudine interdixit; iſque mœrore oppreſſus, ſanguinem ex pulmonibus eructans periit. *Cedrenus.*

Chryſanthius Sardianus Philoſophus, & magus inſignis, octogenario major, dum ſanguinem ſibi detrahi more conſueto curat, parum à morte abfuit. Reſtituit tamen illum Oribaſius calidis fomentis. Quibus ipſi corpus ſenile exhauſtum, dum ſequenti anno phlebotomiam repetit, extinguitur. *Eunapius in ejus vita.*

Epiphanius Syrus, ſophiſta Athenienſis, Proæreſii collega, non admodum ſenex è ſanguinis profluvio obiit: eodemque malo etiam uxor ejus, formoſiſſima femina, interiit. *Eunapius in ejus vita.*

Vido Italiæ Rex, ab Arnulfo Germanorum Rege Berengarii à Vidone regno pulſi partes agente pulſus, poſteaquam Arnulfum Alpes contra Rodulfum Burgundiæ Regem tranſcendere audivit, collecto animo fugam continuit, & converſo impetu ipſum inſequi cœpit. Verùm ad Jarum agri Placentini amnem cùm perveniſſet, vomitu ſanguinis repentino oppreſſus iteriit. *Sigon. lib. 6. regni Ital.*

B Gualterius Brennus Comes permiſſu Innocentii III. Pp. & Sybillæ Reginæ dotali jure regnum Siciliæ, & Neapolitanum invadens, Theobaldum Comitem Germanum Henrici VI. Imp. polemarchum in arce Sarni obſedit. Theobaldus rebus deſperatis eruptionem facit, Gualterium in lecto deprehenſum capit, in arcem abducit, vulnera curari jubet: regni poſſeſſionem offert, ſi quos ſub Imperatore habuiſſet dignitatis gradus, ſibi confirmaſſet. Tum Gualterius: Abſit verò, inquit, ut regnum jure mihi debitum viliſſimi proditoris beneficio obtineam. Theobaldus importuna hominis ſuperbia offenſus, dira multa interminatus, Gualterio ita bilem movit, ut vulnera ſuapte manu conſcinderet, inteſtina lancinaret, & medicamenta ſimul, & alimenta omnia averſatus, quarto die interiret. *Collenucius lib. 4. Hiſt. Neapol.*

Georgius Serviæ Deſpotus arma Turcarum metuens, qui Conſtantinopolim occuparant, Ungarorum Regem Ladiſlaum adiit. Nec multò poſt cùm Ladislaum Zilagum in via interceptum occidiſſet, Michael frater Budæ gubernator eum ſimiliter propè Danubium aggreſſus cepit. Obiit in carcere, cùm ſanguinis fluxus è trunca manu ſiſti non poſſet. *Æneas* C *Syl. cap. 5. Europæ, & Cuſp. & Fulgoſ. lib. 6. c. 4.*

Ecelinus Romanus, Patavinorum tyrannus, poſt infinita propè flagitia, & crudelitatis exempla, tandem in bello (quod contra Martinum Turrianum, Mediolani principem, ſuſceperat) vulneratus, more frendentis belluæ vulnus diſcerpſit, eoque miſeram evomuit vitam. 4. *Iovius in vita Othonis, & Sabell. lib. 9. cap. 3.*

SUPPRESSIONE, RETENTIONE ALICUJUS EVACUATIONIS, conſuetæ. Puta.

Hæmorrhoidum.

Trajanus Imp. defunctus eſt vita, annos natus tres, & LXX. ut multi, & ipſe quoque perſuaſum habuit, veneno. Alii, quia ſanguinis fluxus ſua ſponte ſtetiſſet, qui quotannis illi ab imis partibus fluere conſueſſet. *Sab. lib. 4. En. 4.*

Fæcum.

Joan. Baptiſta Ligamineus Patavinus, Epiſcopus Concor- D dienſis, cùm Venetiis convivio Ducis intereſſet, & præ pudore ventris onus diutiùs retinuiſſet, in graviſſimum morbum incidit, quo etiam periit, Ferrariæ ſepultus. *Bern. Scardeonus lib. 2. Hiſt. Patavinæ.*

Seminis.

Jacobus Cardinalis Ulyxipponenſis, Regis Portugalliæ F. Florentiæ ex retento ſemine mortuus. *Hieron. Garimbertus lib. 3. de Vitis Pontificum.*

Michael Varinus inter Poetas Gallos recentiores primus ex retentione ſeminis graviſſimè ægrotans, Medicis in una venere ſpem ſalutis ponentibus:

Ne ſe pollueret, maluit ille mori.

Alvi.

Amalaricus Hieroſolymorum Rex Tyberiade dyſenteria laborare cœpit. Hieroſolymam inde delatus, curata dyſenteria, in febrem incidit, qua extinctus eſt, anno Dom. 1173. V. Idus Julii, regni XII. ætatis XXXIIX. *Tyrius.*

Caſimirus Poloniæ Rex, bellum contra Uladislaum filium, Boemiæ Regem propter Ungariam, ducta Beatrice E Matthiæ Corvini vidua, occupatam, moliens, quòd illam Joanni Alberto filio reſervatam videbat: cùm diarrhæam eſu panis Lituanici duriſſimi repreſſiſſet, in lentam febrim incidit, & an. Sal. 1492. periit. *Joach. Cureus in Sileſiæ annalib.*

Ulceris.

Henricus IIX. Anglorum Rex obſtructo ſuppurantis tibiæ meatu in ardentem febrem incidit, eaque periit, an. Sal. 1546. ad 7. Kal. Febr. *Auctor. Chronol. Anglor. Regum.*

QUI MORTUI, CONSIDERATI SECUNDUM ÆTATEM.

Infantes, Pueri.

Marcellus, Caii Marcelli ex Octavia, olim M. Antonii uxore filius, deceſſit admodum puer, magna ſpe adempta ſucceſſionis Auguſto, qui eum ſibi adoptaverat. *Volaterranus lib. 17. Anthrop.*

Adoleſcentes.

Albius Tibullus, eques Romanus, & Poeta elegiarum, extinctus eſt media ferè juventute. *Ovidius.* F

—— nec avara Tibulli
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.

M. Cælius Orator, acri, turbulentoque ingenio, diſcipulus Ciceronis, immatura morte, juvenis admodùm deceſſit. Multum in eo ingenii, & præcipuè in accuſando, multa urbanitas, dignuſque vir, cui vita longior contigiſſet. *Quintil. lib. 10. Orat. inſtit. cap. 1.*

Eduardus VI. Angliæ Rex, anno Salutis 1553. è vita diſceſſit, morbo tabifico, circiter annorum ſexdecim adoleſcens. *Surius in Comment.*

Senes.

☞ *Vide Tit. Longævorum, quatenus ævo mors tandem finem imponit.*

HABITUS.

Magi.

☞ *Vide Tit. Magiæ pœna.*

Hæretici.

☞ *Conſule Tit. Hæreſeos pœna.*

Fortes.

Achilles heros fortiſſimus, *inquit Ovid. 13. Metamorphor.* G

Iam cinis eſt, & de tam magno reſtat Achille
Neſcio quid, parvam, quod non benè compleat urnam.

Improbi.

☞ *Vide Tit. Improbitatis pœna.*

In proverbium abiit: ἅπανθ' ὅμοια, καὶ ῥοδῶπις ἡ καλή, id eſt, Similia omnia, Rhodopis ipſa etiam decens. Eadem eſt conditio mortalium, formoſi pariter, ac deformes ſeneſcunt, ac moriuntur. Rhodopis nomen eſt puellæ cujuſpiam formæ celebris, cui nomen à roſeo aſpectu videtur inditum. De Rhodope meretricula multa *Herod. lib. 2.* nonnulla *Plin. lib. 31.*

DIGNITATEM.

Reges.

☞ *Vide Tit. Reges ſuſpendio enecti, ſuprà.*

VESTITUM

Perſonati.

Cùm facerent bellum Athenienſibus Thraces, ſortes acceperunt, ſi à Codro Rege temperaſſent, victoriam ipſos relaturos. Ille accepta falce impreſſionem fecit in adverſarios in veſte ſordida, unoque obtruncato, ab altero eſt H confoſſus. *Ex Socrate lib. 2. de Thracibus, Plutarchus in Parallelis.*

P. Decio res gerenti contra Albanos, ſomnium fuit, ſi occubuiſſet, rem Romanam ſe acturum. Ergo in medios ſe intulit hoſtes, multiſque contrucidatis cecidit. Pari modo filius ejus Decius bello Gallico Romanos incolumes ſervavit. *Ex Ariſtide Mileſio, Idem.*

FUNCTIONES, PASSIONESVE varias, quibus immoriuntur, conſideratas RESPECTU HABITUS, A QUO proficiſcuntur. Immortui.

Crapulæ, Ebrietati

☞ *Ex Tit. In convivio interfectorum, quædam hujus erunt Loci. Vide Locum Mortis.*

Michael Theophili F. Imp. Conſtantinopolitanus, cùm in cœna vino madidus Baſilicinum quendam, Baſilii protoſtratoris

oris primum remigem, maximè laudaret, quòd optimus eſſet A auriga, & corporis pulchritudine antecelleret omnes ſui ordinis, moxque ipſum Regem pronunciaret: Baſilius (quem paulò ante regio diademate ornarat) verba quædam Michaeli objecit. Ad quæ indignatus Rex: Nonne, inquit, qui te Regem crearim, poſſum alium quoque Regem conſtituere? Et fortè inſignia illi magis, quàm tibi conveniunt, ob corporis proceritatem. Ergo Baſilius Michaelem, cùm ſe cubitum contuliſſet, per conjuratos confodiendum curavit. *Cuſpin.*

Adulterio. Scortationi.

Phaon omnium hominum pulcherrimus, à Mytilenæorum mulieribus ardenter appetitus, in adulterio deprehenſus, jugulatus eſt. *Cælius.*

Speuſippum Philoſophum *Tertullianus in Apologetico contra gentiles* ait, de Platonis ſchola, in adulterio periiſſe.

Tigillium Præfectum vigilum, & prætorii, inter ſtupra concubinarum, & oſcula, ſectis novacula faucibus, inhoneſtam clauſiſſe vitam, *Cornel. Tacitus* teſtatur.

B Rodoaldus Longobardorum Rex, in adulterio deprehenſus, à marito adulteræ interficitur. *P. Diaconus, Platina.*

Raptui.

Rapuerat quidam ſponſam. Vindices perſecuti eum cùm ſociis interfecerunt, Ut *Palladas in 3. Epigr.* ſcribit.

Exercitationi.

Urbanus III. recrudeſcente ſchiſmate de inveſtituris, cum ipſe Volmarum, Fridericus verò I. Imp. Rodulfum Treverenſi Eccleſiæ præfeciſſet: Veronam contendit, Imperatorem evocans ad audiendam Eccleſiæ ſententiam. Habebat in animo excommunicationis in eum diſtringere mucronem. Quod ubi intellexere Veronenſes, Papam oravere, ut ab injuria illa Imperatoris in ſua temperaret civitate, non ſe, qui Imperio fidem ſervarent, laturos, ut ea afficeretur in illa urbe nota. Motus Papa ſententiam diſtulit. Sed priuſquam locum, quem ad eam rem deſtinarat, attigit, rebus exceſſit humanis. *Crantz. lib. 7. Saxoniæ, cap. ult.*

Ludo.

C Æaco Jovis, & Ægina F. filii fuerunt ex Endeinde Scyronis F. Telamon, & Peſeus: & præter hos Phocus, ex Pſamathe Nerei filia. Hunc ob virtutem pater cùm majorem in modum dilexiſſet, fratres invidia moti Phocum ad quinquertium invitarunt, utentes aſpero, & rudi ſaxo pro diſco: eoque Peleus Phocum, cùm loco ei ſuo lapis eſſet mittendus, percuſſiſſe dicitur. *Pauſanias in Corinthiacis.*

Perseus Acriſii Argivorum regis, & Abantis F. ex Danae filia nepos, ab eodem expoſitus, poſteà quam ad maturam ætatem pervenit, viſendi avi materni, eumque ſibi conciliandi cupiditate Lariſſam venit, quò Acriſius conceſſerat. Ubi & ætatis robore, & diſci à ſe inventi gloria elatus, dum artem in hominum conventu oſtentat, Acriſium adverſo fato intervenientem, diſci impetu occidit. *Idem.*

Theodosius Magnus Imp. Mediolani ex ſenio in morbum incidit, quo tempore ludos celebrabat pro victoria contra Eugenium tyrannum, quibus ipſe, & filius interfuit manè: ſed peracto prandio repentè debilior, ſpectaculo non interfuit, cùm verò defunctus eſt, anno ætatis LX. vel (ut qui verius) I. cùm imperaſſet annis XVII. *Cuſp.*

D In nuptiis quibuſdam aulicis ſub Carolo VI. Francorum Rege ludis nocturnis unà cum Rege quinque alii prodeunt, vultu in leonini oris imaginem perſonato, reliquum corpus pice delibutum, multoque lino depexo, ac in villos ita confecto, ut hiſpidi, ac ſemiferi potenti ſpeciem ſpectantibus præberent. In orbem reſte data, choreas pedibus plaudunt, feſcennio carmine modulantes. Tota ex regia concurſus fit ad piceatorum ſpectaculum, Ludovicus Aurelianenſis Dux, Regis frater, ſtudio clariùs viſendi, correptam facem propiùs admovit. Scintilla ex ea in Regem fortè incidens, repentinum in omnes illos effuſa flamma conflavit incendium. Ita ut Rege vix ſervato, quatuor miſerè perierint: quintus in propinquam promi cellam ruens, aqua, vinoque ſe perluens, ſalutem ſibi pepererit. *Æmil. lib. 10. & Fulg. lib. 9. cap. 12.*

Similiter in arce Vartenberga apud Eberhardum Comitem Hohenloenſem Bacchanalium cauſa Germani aliquot Comites convenerant. Faunorum perſonas, multa ſtuppa, lineis veſtibus pice reſinaque agglutinatis, imitati. Ludo intentis omnibus, teſſeram in terram fortuito caſu delapſam puer perſonatus dum reperit, funalis incautius adhibiti flamma concepta opem aſtantium implorare cœpit. Eberhardus puero opitula- E turus, eodem malo corripitur, corripiuntur & cæteri: ita ut ignis tandem difficulter, copioſa veſte injecta, ſopitus ſit, & perſonæ licet illæſæ repertæ ſint, niſi quantum de ſtuppa piceata flamma abſumſerat: ac carnes ſubjectæ tam miſeris uſtulatæ modis, ut nullis medicamentis, vel ardor conceptus extingui, vel ardor mitigari potuerit. Adeòque paucis poſt horis Gregorius Tubingenſis, Albertus, & Eberhardus Hohenloenſes Comites in ipſo ætatis flore perierunt. An. Chriſti 1570.

Henricus I. Alfonſi IX. filius, Rex Caſtellæ dictus, anno Salutis humanæ 1215. biennio poſt apud Palentiam urbem, dum cum ſodalibus luderet, cocto latere fortuitò vulnus in capite accepit, ex eoque biduo pòſt mortem occubuit, abſque liberis. *Tarapha de Regib. Hiſp.*

Alexander Albaniæ Dux, à Jacobo III. Rege Scotorum fratre ob regnum affectatum pulſus, in haſtarum certamine Pariſiis ab Rege indicto procurrens cum aliis è prima nobilitate, fractæ haſtæ fruſtulo in oculum per galeam vulnus accepit, & ſubitò expiravit. *Appendix Hiſt. Scotorum.*

Anno Salutis 1292. Ludovicus II. Ludovici I. Palatini F Rheni, F. Norimbergæ cum Cratone ab Hohenloe equeſtri ludo ſe exercens, tactus ab eodem haſta jugulo, decimo poſt die expiravit. *Aventinus lib. 7.*

Henricus II. Gallorum Rex, inito cum Philippo Hiſpaniarum Rege fœdere, eique data in uxorem filia, Philiberto verò Allobrogum Duci Margarita ſorore, ludis equeſtribus Lutetiæ per biduum generosè obitis, cùm quatuor decurſionibus perfunctus, fruſtra dehortante Anneo Momorantio, quintam in Philiberti gratiam ſe obiturum pronunciaſſet, Lorgeum Comitem Montegomerium Scotum, ſatellitum ſuorum Præfectum, vel invitum oblata lancea provocavit. Concurritur, Lorgei haſta in regis pectus fracta, & fragmentum per galeam non rectè, ut apparuit, clauſam, inter duos oculos adactum, Regi alterum oculum perfodit, & parte ſua cranium ſubiit. Lorgeus, ingenti dolore metuque perculſus, ad Regis accidit pedes, ejus facti, à quo omnis fraus, culpaque abeſſet, veniam petens: cui Rex promptè, & clementer ignovit. Septimò die, vulneris dolore, conſumptus eſt. Ita Rex ætate, atque opibus florentiſſimus inter hoſtes tutus, inter ipſa nuptiarum ſolennia, res mira, à quo caſu G non voluntate interficeretur, invenit. Sal. 1559. prid. Kal. Julii. *Surius in Comment.*

Choreis.

Ludovicus, Marchio Miſnenſis, ab Halberſtadenſe ad Bambergenſem, hinc ad Magdeburgenſem Archiepiſcopatum evectus, choreas, & carmina non omiſit, plus in eo valebat patrius mos, quàm Chriſti religio. Ad dies Carniſprivii vocavit miniſterialium ſuorum puellas, & matronas in oppidum Calven, ipſeque primus in prætorio ſpatioſo choreis intererat fœminarum, reſtim ducens, Die lunæ ad horam veſperam apparuit ignis in camera leviſs. qui vel à puero reſtingui potuiſſet. Nemo occurrebat, ſed ad gradus feſtinabant univerſi tanta contentione, ut pondere victa domus, crepitu ingenti edito ſubſideret, & per ſcalas lapideas Archiepiſcopus cum CCC. aliis rueret, & poſtera die moreretur. Ex reliquis tres ſoli periere. *Crantz. lib. 10. Metrop. c. 23. & lib. 10. Saxoniæ, c. 5.*

Sub Rodolfo I. Cùm Trajecti juvenes puellæ, viri, fœminæ choreas ducerent in ponte frequentes, & venerabile Chriſti corpus deferretur, nec illi proſternerentur, intenti vanitatibus mox ponte deſidente, ducenti propè mortales perierunt. H *Crantz. lib. 8. Metrop. cap. 39.*

Salutationi, Congratulationi.

Venceslào Imper. dejecto ſucceſſor datus eſt Robertus Palatinus Comes. Ad cujus ſalutationem cùm aſcenderet Fridericus Dux Brunſuici, optimus Princeps, & digniſſimus Imperio, non longè à Friſlaria impetitus, confoſſuſque eſt, cùm ſe dedere nollet. *Crantz. lib. 10. Saxon. c. 19.*

Cultui divino.

☞ *Conſule Tit. Templa cæde polluta, quatenus divinis rebus intenti occiduntur. Item Peregrinationum ſacrarum.*

Lamon monachus Hierapoli in Epiſcopum electus, nullis ſuaſionibus adduci potuit, ut electioni aſſentiret. Cùmque Theophilus Epiſcopus itidem ab eo flagitaret, diem ad liberandum impetravit. Dum autem in ſolitario loco genibus provolutus, toto eo tempore ſecretæ precationi intendiſſet, inventus eſt efflaſſe animam. *Marul. lib. 1. c. 6.*

Baptiſma-

Baptiſmatis ſuſcipiendi conſilio.

A VALENTINIANUS II. Imp. dum Ambroſium Mediolanenſem Epiſcopum Viennam accerſit, ab eo baptiſmum ſuſcepturus, Arbogaſtis Comitis dolo ſtrangulatus eſt, anno ætatis xx. *Sigonius lib.9. Imp. Italici.*

Fidei confeſſioni.

☞ *Vide Tit. Martyrum.*

Apoſtoli, omneſque reliqui Martyres pro juſtitia, pro veritate, pro Chriſto morientes, præſtantiſſimum id eſſet mortis genus teſtantur, quod ipſi paſſi ſunt. Sed non omnibus hoc contingit: omnibus tamen ea mens eſſet debet, ut ſi fors ita feret, libenter & ipſi ſuſtinerent. Cujus is animus, vel tunc cum è vita egreditur, fuerit, proculdubio Martyrum ipſorum coronæ particeps erit. Corda enim perpendit Dominus magis, quàm facta. Dic ergo cum Paulo: Non ſolùm alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Jeſu. Certè talis in moriente charitas elevabit doloris, anguſtiæque ſenſum, & hominem alterius vitæ deſiderio accendens, faciet exclamare: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. *Marul. lib. 5. c. 10.*

Impietati, Contemptui Religionis.

B Cùm eſſet Ebroino aulæ magiſtro regiæ nunciatum, quòd ad tumulum Leodegarii fierent miracula, miſit eò militem exploratum. Is autem calcans locum pedibus, inquit: Moriatur, qui mortuum poſſe miracula facere credit. Ad eam vocem concidit, & expiravit. *Vincent. lib. 23. cap. 125.*

Convivio, Cœnæ, Prandio.

AMNON à fratre Abſalon in convivio interfectus propter conſtupratam ſororem Thamar. 2. *Reg.* 13.

ELA Rex Iſraelitarum, Baaſæ F. dum poculis indulgeret, à Zambre dimidiæ partis quadrigariorum ſuorum duce interfectus eſt. 3. *Reg.* 16.

GODOLIAS Judææ præfectus à Nabuchodonoſor Rege, vir optimus, ab Iſmaele Nathaniæ F. homine ſceleſtiſſimo, quem convivio exceperat, vino gravis inter epulas interfectus fuit. *Joſephus lib.* 10. *cap.* 11. *Antiq. ex* 4. *Reg. ult.*

PTOLEMÆUS ABUB F. agro Hierichuntio præfectus, Simonem ſocerum ſuum, Ducem, & Pontificem Judæorum fortiſſimum, blandè in caſtello Doco excipiens, in convivio interfecit, uxore etiam, & duobus filiis ejus comprehenſis. 1. *Machab.* 16. & *Joſephus lib.* 13. *cap.* 15.

C φώκου ἔρανος, Phoci collatio, proverbium in eos, qui convivia ſuo malo inſtituunt. Phocus enim quidam cùm filiam haberet, cujus nuptias multi expetebant, ſtipem cogebat: & convivio excipiens procos, nuptias differebat. Irati igitur illi, in convivio Phocum occiderunt. *Suidas, & Zenodotus.* Sed *Plutar. in Amat. narrat.* fabulam hanc diverſè narrat.

CLITUS ab Alexandro Magno amiciſs. in convivio gladio confoſſus eſt, ob id ſolum, quòd improbaſſet cantari in convivio carmina cujuſdam Pranychi, in ignominiam Macedonum compoſita. *Plutarch. in Alexandro.*

Thracibus à Perſis Megabyzi ductu victis, in Macedoniam Legati Perſa venerunt, petitum ab Amynta Rege aquam, & terram Amyntas Regi ſe dedens, liberali eos hoſpitio excepit, & Perſarum more, ipſis petentibus, in convivium concubinas introduxit. Quas cùm illi attrectarent, & oſcularentur, indignè eam rem ferens Alexander Amyntæ F. patrem dormitum ablegavit. Ipſe poſteà data optione Perſis cum quacunque liberè concumbendi juvenculas dimiſit lotum: & mox ſub earum ſpecie introduxit adoleſcentes ephebos, iiſdem amictos D veſtimentis, & pugionibus clàm inſtructos. Quos ſimul ac Perſæ attrectarunt, ipſi pugionibus eductis eos interfecerunt. *Herodotus lib.* 4.

Ochus, qui poſteà Darius appellatus eſt, ſanctiſſimo Perſis jurejurando obſtrictus, ne quem ex Conjuratis, quorum opera Magos oppreſſerat, aut veneno, aut ferro, aut ulla vi, aut inopia alimentorum necaret: crudeliorem mortis rationem excogitavit. Septum enim altis parietibus locum cinere complevit, ſuppoſitoque tigno prominente, benignè cibo, & potu exceptos in eo collocavit: è quo ſomno ſopiri, in illam inſidioſam congeriem deciderunt. *Valerius lib.* 9. *c.* 2.

AGATOCLES Syracuſanorum tyrannus, paulò ante Africanam expeditionem, cùm per eam, quæ in conviviis exiſtere ſolet, urbanitatem eos, qui ejus imperium alieno animo ferrent, deprehendiſſet, eoſdem aliquando privatim ad convivium rurſus vocavit, adhibitis unà Syracuſanorum magnificentiſſimis, numero ad quingentos, eoſque omnes trucidavit. *Diodor. lib.* 20.

Habebat ubique L. Quintius Flaminius, Titi frater, in deliciis ſecum puerum quendam: Qui epulante Lucio aliquan- E do cùm per laſciviam cavillaretur, adeò ait, ſe ardenter amare eum, ut ſpectaculum gladiatorum reliquerit, cùm nunquam hominem ſpectaſſet jugulari, voluptati ſuæ anteferens in illum obſequium, Lucius, ut ei in hoc gratificaretur, mox Unum ex damnatis attrahi ex carcere juſſit, accitoque lictori inter epulas imperavit, ut eum obtruncaret. *T. Livius lib.* 9. *Dec.* 3.

Campani à Romanis obſeſſi, & ab Hannibale deſerti, cùm de legatis in caſtra ad Rom. duces mittendis agerent: Vibius Virius, defectionis ad Pœnos auctor, iſtud penitùs diſſuaſit: conſuluitque voluntaria potiùs morte obeundum eſſe, quàm ſe, ſuoſque perpetuæ ſervituti, & ignominiæ hoſtium exponere; paratæ ſunt, inquit, apud me epulæ, quibus, ſi qui mecum ſe imminentibus malis ſubtrahere volent, adhibebo: poculum poſtremò omnibus circumferetur: ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis eripiet. Hæc una via, & honeſta, & libera ad mortem, & ipſi hoſtes virtutem admirabuntur, & Hannibal fortes à ſe ſocios deſertos adhuc magis dolebit. Septem fermè, & viginti Senatores, cum eo curia egreſſi, mentibus vino, & epulis, quantum fieri potuit, alienatis, venenum ordi- F ne hauſerunt: inde cum lachrymis ſeſe complexi ſuam, patriæque vicem familiariter flentes, diverſi domum abierunt. Nonnulli apud Vibium extingui maluerunt, ut cum eo unà ſepelirentur. Noctè omnes extincti: pauci in ſequentem diem ſpiritum traxerunt. *Sabel. lib.* 4. *Ennead.* 5.

LUC. MANLIUS Torquatus conſularis, cùm in cœna placentam appeteret, repentè obiit. *Plin.* 7. *cap.* 53.

LUC. Durius Valla medicus dum mulſi potionem haurit. Appius Saufejus ſcriba, cùm è balneo reverſus, mulſum bibiſſet, ovumque ſorberet. P. Quintius Scapula, cùm apud Aquilium Gallum cœnaret. Decimus Saufejus ſcriba, cùm domi ſuæ pranderet. *Idem.*

M. OFILIUS Hilarus, comœdiarum hiſtrio, cùm populo admodum placuiſſet natali die ſuo, conviviumque haberet, edita cœna calidam potionem in pultario popoſcit, ſimulque perſonam ejus diei acceptam intuens, coronam è capite ſuo in eam tranſtulit, tali habitu rigens, nullo ſentiente, donec accubantium proximus tepeſcere potionem admoneret. *Plin. l.* 7. *c.* 35.

Q. SERTORIUS Dux clariſſimus magna fortitudine, & pru- G dentia bellum contra Romanos in Hiſpania geſſerat, & Mithridatis inſuper formidabilior redditus fœdere, hoſtibus jam penè par erat, Perpenna ſpiritibus vanis ob natalium ſplendorem elatus, conſpirationem contra eum moliri auſus cum Aufidio, Antonio, & Manlio, uno ex Sertorianis Ducibus, ad cœnam ipſum invitavit cum conjuratis, multiſque precibus obtinuit, ut ſibi condiceret. Cæterùm in medio convivio exordium quærentes jurgii, propalàm inceſta verba jecerunt, fingenteſque ſe vino merſos, quò irritarent illum, multa deſignaverunt inſolenter. Ille verò, vel quòd licentia iſta inſolita offenderetur, vel quòd mentem eorum loquendi tarditate adverteret: figura mutata accubitus, ſupinum ſe collocavit, quaſi non attenderet, neque exaudiret ea. Ut verò phialam Perpenna accepit meri plenam, eamque inter bibendum è manibus dimiſit, unde eſt editus ſtrepitus, quod erat illis pro ſigno: Antonius, qui ſuprà Sertorium recumbebat, ferit eum pugione. Ad ictum circumagente ſe illo, & parante exurgere, coniiciens ſe in pectus ejus, ambas occupat manus. Ita cùm non valeret ulla ratione ſe defendere, multis cum cædentibus, eſt H trucidatus, *Plutarchus in Sertorio.*

THEUDISCLUS, vel Theodegiſilus Gothorum Rex in Hiſpania ob ſtupra, & cædes Hiſpali in convivio trucidatus fuit anno 587. *Roder. Tolet. lib.* 2. *rer. Hiſp. c.* 12. & *Sigeb.*

Erat inter Gothos Buillas quidam, qui Urajæ ab Ildovaldo Gothorum Rege cæſi viduam ambiebat. Ildovaldus autem ipſum contra hoſtes miſit, illamque interim alteri cuipiam, quem ſibi fideliorem fore putabat, conjugio ſociavit, Buillas è caſtris reverſus, in convivio, quamvis circumſtante ſatellitio caput Regi amputavit, ut in menſem proſiliens dapes inquinaret. *Jo. Magnus lib.* 12. *ex Proc. Sigon. lib.* 18. *occid.* Beſſam vocat.

HIARTHUARUS Sueciæ Præfectus, ducta in uxorem Sculda Rolvonis Danorum Regis ſorore, libidine regnandi Rolvonem per inſidias cum optimatibus occidit. Cæterùm eo ipſo die dum triumphali epulo indulget, à Vvigonne, qui unicus ex ſtipatoribus Rolvonis ſupererat, gladio transfixus occubuit. *Saxo lib.* 2.

CANUTUS III. Anglorum Rex erat ſuaptè natura homo tam mitis, quàm liberalis, & præſertim in conviviis, qui A ſuos convivas in prandiis, & cœnis ampliter, atque nitidè accipiebat, epulumque frequenter populo dabat, ter in die eſcis appoſitis veſci volentibus. Solebat etiam apud alios cœnitare. Invitatus ad nuptias cujuſdam principis, cùm in convivio diſcumberet, è regione Vveſtmonaſterii, ad alteram ripam Thameſis, in vico, quem vocant Lameithum, inter potationem repentè cecidit, atque interiit, non ſine ſuſpicione ſumpti veneni, biennio poſt, quàm regnare cœperat. *Polyd. lib.* 8.

OTHO II. Imp. Romæ inſtituit inſigne convivium, regiè acceptis Pontifice, Epiſcopis, & civibus. Et dum opiparè cibos appoſuiſſet, armatis in formam coronæ circumſtantibus graviſſimè conqueſtus de iis, qui fœdus amicitiæ rupiſſent (quoties enim Roma diſcederet, toties pacem plerique violabant) ſatellitibus mandavit, ut Sontes à menſa abreptos obtruncarent. Cæteros lætos, & hilares convivium perſequi juſſit. *Cuſp.*

CHRISTIERNUS Danorum Rex, cùm à Proceribus quibuſdam Suerovum anno 1520. Stocholmiæ regni Svetici gubernacula accepiſſet, & potiorem tamen procerum partem ani- B mis à ſe abalienatam videret, ad regale convivium invitatos trucidavit, ad XCIV. *Joan. Magnus l.* 24.

CASIMIRUS II. Poloniæ Princeps impetrarat à Pontifice Max. Lucio reliquias S. Floriani Martyris: eaſque allatas, ad ſeptimum milliarium à Cracovia, cum ingenti omnis generis hominum caterva, & ſolenni ſacerdotum pompa obviàm progreſſus, reverenter exceperat. Inſequenti die grande convivium inſtruxit: proceres omnes, qui tunc aderant, invitavit. Fervente convivio, exhilaratis convivis, & multa de præteritis bellis, atque periculis inter ſe conferentibus, & principis res geſtas, & felicitatem celebrantibus, ipſe nonnulla de immortalitate animi, atque cœlitum beatitudine non inepta in medium propoſuit. Deinde hauſto mediocri poculo, ſubitò concidit, & paucis horis animam exhalavit. Subituſne morbus eum invaſerit, an venenum à muliercula, quam deperibat, præparatum hauſerit, incertum eſt. *Crom. lib.* 6.

Egeſtione.

☞ *Conſule Tit. Alvi profluvio mortui, item, In cloacis mortui.*

C. CARBO, ſumma in Republ. auctoritate, cùm partes Ma- C rianas ſecutus eſſet, in tertio conſulatu ſuo in Sicilia, juſſu Pompeii, dum ventrem apud latrinam exoneraret, trucidatus eſt. *Val. Max. & Plut. in vita Pompeii.*

ANTONIUS Caracalla Imp. dum Carris ageret, quæ eſt Meſopotamiæ urbs, deæ Lunæ templum inviſit, quod in ea regione diſtans aliquantulum ab urbe præcipuo honore ab incolis colebatur, eò ſecum paucos equitum adduxit: Itaque medio itinere, non tantùm comitatus famulo, ad requiſita naturæ diſceſſit: quò Martialis centurio, cùm Macrini præfecti promiſſis adductus, tum proprio odio incitatus (ejus enim fratrem Imperator occiderat) tanquam nutu principis vocatus, accurrit illicò, Antoniumque ſibi ſubligacula deducentem pugione trajecit. *Polyd. l.* 2. *hiſtor. Anglorum, ex Herodiano, & Spartiano.*

Conſtantinopoli, cùm Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus Arium per vim in eccleſiam introducere niteretur, Alexand. Epiſcopus Conſtantinopolitan. Orthodoxus, Comite Macario presbytero, ardentiſſimis precibus, & lachrymis Deum per noctem rogavit, ut ſi permittere Deus vellet, ut Arius deinceps in communione eccleſię eſſet, dimitteret ſe ſervum ſuum, D nec pium unà cum impio perderet. Sin parcere vellet eccleſię ſuæ, reſpiceret inſolentiam Euſebii, neque daret in diſcrimen ſortem ſuam: tolleret Arium, ne eo recepto hæreſis ſimul videretur recipi. Poſtera die Arius comitatus turba Euſebianorum, in templum introire cupiens, urgente vindicta divina ad cloacam ſeceſſit, & ibi inteſtina cum ſtercore egeſſit. *Theod. l.* 1. *c.* 14.

Presbyter Epiſcopatum Avernenſem affectans, cùm Sidonio Epiſcopo veſperi interminatus eſſet, ſe eum eccleſia ejecturum eſſe: manè eccleſiam ingreſſus, priùs alvum exonerare volens, obiit. *Auctor. vitæ Sidonii.*

Qui Regis Hieroſolymitani titulum habebat, ſurrexit, ut urinam proiiceret: & cadens de feneſtra, fractis cervicibus expiravit: cliens ſimiliter, qui eum trahere conabatur. *Crantz. l.* 7. *Metrop. cap.* 17.

AMBIRKELETHUS Scotorum Rex in expeditione adversùs Garnardum Pictorum Regem poſt cœnam dubia luce caſtra egreſſus ad naturæ requiſita, duobus tantùm famulis comitatus ſagitta ab incerto auctore emiſſa confixus interiit. *H. Boeth. l.* 9. E

Coitui, Veneri.

ZAMBRIS Iſraelita cum Cozbi Madianitide in ipſa venere à Phinea Eleazari F. interfectus. *Num.* 25.

Cretenſes feſtum quoddam novis, & abſurdis cæremoniis agebant, oſtenſo hominis ſimulachro ſine capite. Hunc ajebant Molum Merionis patrem fuiſſe, qui conſtuprata per vim Nympha, ſine capite fuerit repertus, *Plutarch. in l. de Defect. orac.*

ALCIBIADES Athenienſis cum Cimandra meretrice à Lyſandro interfectus fertur in actu venereo: ut credibile eſt, incertum tamen. *Plut. & Valer.*

CORNELIUS Gallus Prætorius, & Titus Ætherius eques Rom. inter uſum puerilis veneris abſumpti ſunt. *Val. lib.* 9. *cap.* 12. & *Plin. l.* 7. *c.* 53.

CONRADUS Suevorum Dux, Henrici VI. Imper. frater, contra Berchtholdum Ducem Zeringenſem expeditione ſuſcepta Durlaci à cive, cujus uxorem corrumpebat, confoſſus eſt. *Cuſpin.*

GIACHETUS Geneva Salucianus, inter Salucianos clarus homo, ætate jam ingraveſcente, per poſticum puellam F admittere conſueverat, prætextu utenſilium curandorum, veſtiumque purgandorum. Quodam die cùm eſſet, cum puella diutius, quàm conſueverat, & recipere ſe ad uxorem, ac liberos tardaret, ſeriorque hora uxorem, ac liberos in ſuſpicionem adduceret, ne quid marito adverſi contigiſſet, quia ſtrepitum nullum, in muſeo, evolvendorum librorum (ut ei mos erat) exaudiebant: poſteaquam vocando, pulſandoque non profecerunt, effracto loci oſtio, cùm lumen intuliſſent, invenerunt, in puellæ complexu eum illius ventri, eo modo, quo venus exercetur, incumbere, atque utrumque exanimem ſine ullo violentæ mortis ſigno eſſe. *Fulg. l.* 9. *cap.* 12.

THEOBALDUS Dux Lotharingiæ in complexu venereo cum meretrice veneno infecta moritur, ann. 1219. *H. Henninges in Geneal.*

BELTRANDUS Ferrerius in Hiſpania Barcellone in venere expiravit. *Pontan. l.* 1. *de Obedientia, cap.* 10.

Tonſuræ.

PETRUS Calceonus, unus eorum, qui Joannam puellam Gallicam Anglorum expultricem flammis devoverunt, dum G radendam tonſori barbam committeret, in ipſa tonſtrina repentè deceſſit. *Valerandus Varanius:*

Sic & Calceanues (qui cenſuit eſſe cremandam)
Pendula dum tonſor ſecat excrementa capilli.
Expirans cadit, & gelida tellure cadaver
Decubat: ultrices ſic pendent crimina pœnas.

Lotioni.

☞ *Vide Tit. In balneo mortui.*

Veſtiendo.

Nullis evidentibus cauſis obiere, dum calciantur, matutino duo Cæſares, prætor, & prætura perfunctus Dictatoris Cęſaris pater: hic Piſis exanimatus, ille Romæ. *Plin. l.* 7. *c.* 53.

Phlebotomiæ.

GRIMOALDUS Rex Longobardorum ann. 672. migravit è vita, vena, nono poſt ſanguinis miſſionem die, dum arcus tendendi cauſa conniteretur, aperta. *Sigon. l.* 2. *regni Ital. ex Paulo Diacon.* H

THORISMUNDUS Veſtgothorum Rex Toloſæ tertio anno regni ſui ægrotans, dum ſanguinem è vena mittit, ab Aſtaldo (Aſculum vocat Sigonius) proprio cliente (ſubtractis anteà armis) trucidatus, perfidia fratris Theoderici, & Eurici. Una tamen manu, quàm liberam habebat, ſcabellum tenens, aliquot ex inſidiantibus occidit. *Crantzius l.* 2. *Sveciæ c.* 6. *Sigon. lib.* 23. *Imp. occid.*

PHILIPPUS Imp. bellis confectis civilibus, Babenbergæ animum relaxans cum familiaribus ſanitatis ergò venam aperuit. Intereà Ottho Palatinus de Vvitilſpach, veluti amicus Cæſaris, cubiculum ingreditur, nemine id prohibente: & vibrato gladio, caput regis lethali ictu ferit. Rex verba dum, facere incipit, moribundus labitur. *Cuſp.*

Deambulationi.

OEONUS Herculis conſobrinus, cum Hercule Spartam veniens, cùm fortè ad Hippocontis ædes acceſſiſſet, in eum canis domus cuſtos invaſit. At ille lapide canem percutiens, ab Hippocontis filiis fuſtibus conficitur. *Pauſan. in Lacon.*

Fugæ.

Pauſanias ſtipator occiſo Philippo Macedonum Rege, evaſiſſet, niſi vite hærente ad calceum equo dejectus, è ſtipatoribus regis fuiſſet confectus. *Diod. lib. 16.*

Opilius Macrinus Præfectus prætorio, Antoninum Caracallam Imp. ſuum per Martialem centurionem in Meſopotamia clàm interfici curavit, & ipſe poſteà factione ſuorum Imperator creatus eſt. Dum autem ad Parthos proficiſceretur, ut ſordes, ac infamiam victoriæ magnitudine aboleret, habito conflictu contra Parthos, defectu legionum, quæ ad Varium Heliogabalum confugerant, cognito, omnem Imperatorium habitum, atque ornatum abjecit: detonſaque barba, veſte ſimplici accepta, convelato capite, diem, noctemque fugit. Inventus autem Chalcedone, Bithyniæ urbe, graviſſimè ægrotans, ac perpetuo itinere attritus, latitans in ſuburbano quodam, ibi occiſus eſt. *Cuſp. ex Herod.*

Peregrinationi.

David Bruſius Scotorum Rex regno recepto, & pacato, ad Hieroſolymitanam peregrinationem ſe accingens, obiit ann. ætat. 47. Chriſti 1370. *H. Boeth. lib. 15.*

Ericus II. Danorum Rex Hieroſolymam petens in Cypro obiit. Botildam quoque ejus uxorem idem caſus abſtulit. *Saxo. lib. 12.*

Ptolemaide diem ſuum obiit Margarita ſoror Philippi Auguſti Franci Regis, quæ mortuo marito Ungarorum Rege Bela, religionis cauſa Orientem petierat. *Æmil. l. 6.*

Bonifacio Zuingero Theodori F. incredibile peregrinandi deſiderium fatale extitit. Cùm Patavii Antenoris ſtudiis philoſophicis impigrum formaret animum, poſt Aponenſium balnearum infelicem uſum, epidemica febri, quarto poſt patrem menſe, in ipſo ætatis flore interiit, Ann. Chriſti 1588. Comes fraternæ cladis, & paraſtata, talibus eum lachrymis proſecutus eſt pater.

Τοὔνεκ' ΑΔΕΛΦ' οὐκ ἔδδεισας μόρον ἔλιν ἄποτμον
Ἔκδημος, γλυκερᾶς ἐνὶ πατρίδι ἄμμορος ἄλκης,
Ὄττι πέσεις εὐκαὶς τῷ ἀλεξικάκῳ, θέλες, ὄμφη,
Φεύγων ἀμπλακίης στυγερῆς κακὰ δέσματα χρωτὸς,
Αὐτὸς ἅμα ΧΡΙΣΤΩ ζώειν, καὶ εὐρὺ ἀνάσσειν,
Βλεψόμενος ΠΑΤΡΟΣ οὐρανίην ἐρικυδέος αἴγλην,
Ναὶ ἡδέα πατρὶς στέργουσα υἱὸς παρεόντας.
Ναὶ γλυκὺ ἐν γαίῃ τῇ πατρίδι πότμον ἐπισπεῖν,
Ἀλλὰ πολὺ γλυκερὸν δῖον τάχα αἰθέρα δύειν,
Καὶ νῦ συναστράπτειν ἅμα ὑψιμέδοντι ποκῆι,
Νόσφιν ἄτερπε πόνων καὶ οἰζύος ἀλγινοέσσης.
Ὡς δὴ παραμυθεὶς ἐπί σοι, στυγέω μάλα κόσμου
Κήδεα λυγρὰ, πάρος μὲν θ' ἱμείρομαι ἄμμον.

Somno. Dormientes mortui.

Isboſeth Rex Iſraelitarum Saulis F. à Baana, & Rechab Remmonis Berothitis Ff. in lecto confoſſus. *2. Reg. 4.*

Siſara Barac Iſraelitarum Ducem fugiens, à Jael Hebris Cenæi uxore in ſomnis clavo per tempora adacto necatus. *Jud. 4.*

Diogenes Cynicus ſomno arreptus, excitante eum medico, percontanteque, cum jam exceſſurus vita eſſet, ecquid moleſtiam ſentiret? Nullam, inquit: nam frater ſororem anticipat, ſomnum mortem. *Plut. conſol. ad Apollon.*

Pindarus, Lyricorum princeps, cùm per eos, qui à Bœotiis ad oraculum miſſi fuerant, ſciſcitaretur, quid optimum homini contingeret? reſponſum accepit: Id quod Agamedi, & Throphonio accidiſſet. De his idem Pindarus ſcripſerat, quòd cùm Delphicum templum condidiſſent, & ab Apolline mercedem petiiſſent, ille in ſeptimam diem eos rejecit, & intereà bono animo eſſe juſſit. Nocte igitur ſeptima placidè obierunt. Hoc oraculo intellecto, Pindarus ea, quæ ad mortem pertinerent, cogitare cœpit, neque ita multò poſt diem ſuum in gremio pueri, quo unicè delectabatur, ludos ſpectans, & obdormiens obiit. *Plut. ibid. & Cicero in Tuſcul.*

Miles dormiens ab Iphicrate, & Epaminonda cæſus: qualem inveniſſent, talem reliquiſſe ſe dicentibus, ut reliquorum vigilantiam excitarent. *Front. l. 3. c. 12.*

Prorex Gobodionis Britannorum Regis F. ob Ferregem fratrem, cum quo de regno contendebat, interfectum, à matre dormiens interfectus. *Polyd. lib. 1.*

Attila Hunnorum Rex, quamvis multas haberet uxores, aliam ſuperduxit, Hildiconem Regis Bractrianorum F. Cum qua dum dormit prima nocte, effuſo de naribus ſanguine ſuffocatus eſt. *Blondus.*

Lambertum Italiæ Regem, Meginfredi Comitis Mediolanenſi, quòd Berengarii partibus faveret, interfecti, Filius, qui ei à ſecretis erat, ſub arbore dormientem in ſylva fuſte capiti impacto occidit quaſi aprum inſequens ex equo præcipitatus cervicem fregiſſet. *Cuſp.*

Sugerius Sigiſmundi Burgundorum Regis F. dum matrem defunctam nimis laudaret coram noverca, generoſioremque eam fuiſſe contenderet, quàm cujus mundo, ornamentiſque illam excoli conveniret: adeò ſtimulos novercales acuit, ut ea illum appetiti regni inſimulante, pater uxori deditus, ad quieſcentem filium duos ſuorum intromiſerit, qui laqueo cervici injecto ſpiritum intercluderent. *Æmil. l. 1.*

Nicolaus, & Bartholomæus Trincii, Fulginatium Domini, à præfecto Nucerinæ arcis (qui animadverterat Nicolaum uxori ſuæ vim intuliſſe) venationis labore defeſſi, in lecto dormientes interfecti fuere. *Fulg. l. 6. cap. 1.*

Alexand. Medices Florentiæ Dux, inſidiis Laurentii conſanguinei, & amici intimi, in lecto interfectus. *Sab. ſup. lib. 22. ex Iov.*

Habraimus Baſſarum princeps, ſub Solymanno Turcar. Imp. de proditione ſuſpectus, nocte in cubiculo per Eunuchũ carnificis munus obire ſolitum, in pulvino dormitans cultro adunco, quod de manu Imp. tradiderat, jugulatus eſt. Ferunt Habraimum cùm ſumma Solymanni gratia potiretur, familiari ſermone aliquando poſtulaſſe, ne ſe tantis honoribus onerare contenderet, ne demum amplitudine odioſa ſupra æquum florentem, è gradu tanquam è faſtigio ſummæ fortunæ præcipitem dare, atque occidere neceſſe haberet, fidem verò in ea verba ita principem dediſſe, ut nunquam ei vivo vitam erepturum polliceretur, ſicque ea inanis juramenti religione obſtrictum, ne datam falleret fidem, non aliter quàm altè ſtertenti necem intuliſſe: quoniam Taliſmanes ſacerdos, divini interpres juris, dormientem nequaquam cenſeri inter vivos, cùm una vigilia totius vitæ actus conſtaret, aſſeveraſſet. *Jovius lib. 33. Hiſt.*

Captivitati.

☞ *Hic Paſſionem conſideramus. Sub Tit. In carcere mortui, locum ipſum Conſule. Tit. Veneno mortui, quatenus in carceribus venenum bibere coguntur.*

Joachaz Joſiæ F. Judæorum Rex, tertio regni menſe à Pharaone Necho Ægyptiorum Rege captus, & in Ægyptum abductus, ibi mortuus eſt. *4. Reg. 23.*

Joannes Baptiſta, cùm dixiſſet Herodi, Non licere ei ſecum habere fratris uxorem, conjectus eſt in carcerem, & in eodem decollatur. *Matth. 14. Mar. 6.*

Miltiades Laciades accuſatus proditionis, capitis abſolutus, pecunia tamen mulctatus fuit. Cùm lis ei æſtimata quinquaginta talentis eſſet, nec ſolvendo eſſet, in vincula ductus, diem ſuum obiit in carcere. *Plut. in Cimone.*

Nicias Athenienſis, & Demoſthenes Duces fortiſſimi, cùm infeliciter adversùs Syracuſanos pugnaſſent, capti in carcere ſibiipſis mortem conſciverunt. *Plut.*

Socrates Athenienſis Philoſophus, propter Deorum contemptum in carcerem ab Athenienſibus conjectus, cicutamque bibere coactus eſt.

Theramenes Athenienſis Philoſophus, juſſu triginta tyrannorum in carcere veneno extinctus eſt: Quod cùm bibiſſet: Propino hoc, inquit, pulchro Critiæ, uni ex triginta, qui cauſa potiſſ. ejus mortis fuerat. *Cic. in Tuſcul.*

Uxor Hircani III. ab Ariſtobulo Rege Judæorum, filio ſuo, in carcere fame necata. *Joſeph. lib. 13. cap. 19. Antiq.*

Demetrius Eucætus, Antiochi Gryphi F. Syriæ Rex à Parthorum Rege Mithridate captus, in vinculis morbo perit. *Joſeph. lib. 13. cap. 22.*

Ariſtobulus, & Alexander, Herodis I. Judæorum Regis filii, à parente propter falſam ſuſpicionem in carcere interfecti. Antipater, cujus delationibus fratres necati fuerant, non multò poſt ob certas inſidias in carcere à ſatellite occiſus. *Joſeph. l. 16. & 17. Antiq.*

Agis Rex Spartanorum ob novas tabulas, & legem agrariam à Leonida Rege æmulo in carcere necatus fuerat. Ejus viduam Agiatidem cum Leonidas Cleomeni filio vel invitam nuptui dediſſet: uxoris familiaritate motus Cleomenes, Agidis conſilia commendantis, Ephoros tyrannidem exercentes contra ipſos reges ſuſtulit, æs alienum remiſit, agros ex æquo partitus eſt. Et ſic, quod vivus non poterat Agis, mortuus per uxorem impetravit, ut æqualitas à Lycurgo inſtituta reduceretur. *Plut. in Agide.*

Appius Claudius Regillanus decemvir legibus ſcribendis, ſumma inter collegas auctoritate, Virginiam Virginii centurionis filiam in Algido militantis ita amavit, ut clientem ſubornaret, qui eam coram ſe ſervitium depoſceret; facilè victurus, cùm ipſe accuſator, & judex foret. Pater itaque virginis re cognita, cùm in rem judicii ſuperveniſſet, & filiam jam addictam videret: ultimo colloquio ejus impetrato, cùm eam paulò remotius à turba ſeduxiſſet, occidit, atque corpus ejus humero gerens, ad exercitum profugit, & milites ad facinus vindicandum accendit. Itaque decemviratus tyrannicus ſublatus eſt. Appius ipſe in carcere expiravit. *Jovius.*

Philopoemenes Megalopolitanus ſeptuagenarius prætor Achæorum, cùm Dinocrates Meſſenius Meſſenen ab Achæis alienare diceretur, quamvis febre confectus, equites in eum duxit. Ubi dum incautus in medios ſeſe hoſtes effundit, equo prolapſo humi afflictus, & ſemianimis, à Dinocrate captus, in carcere ſumpto veneno periit. *Plut. in ejus vita.*

Eumenes Cappadociæ, atque Paphlagoniæ Rex, ſuorum fraude venit in Antigoni poteſtatem: cujus juſſu carceri traditus, inter catenas, & tenebras mori coactus eſt miſerrimè. *Plut. in Euch.*

Aristonicus ex Eumene, & Pellice natus, à Perpenna conſule captus, in triumphum ductus, & poſtmodum in carcere necatus eſt. *Livius lib. 59.*

Q. Cæpio, præturæ ſplendore, triumphi claritate, conſulatus decoramento, maximèque ſacerdotio quondam conſpicuus, publicis vinculis ſpiritum exhalavit. Cujus corpus funeſti carnificis manibus laceratum, & dehinc in ſcalis Gemoniis magno cum horrore totius fori Romani conſpectum eſt. *Val. Maximus.*

Aristonicus ab Aquilio Conſule in triumphum ductus in carcere necatus eſt.

Jugurtha Manaſtabilis filius nothus, Micipſæ Regis Numidarum nepos, propter Adherbalem, & Hiempſalem fratres regni conſortes occiſos, à Mario bello petitus victus, & in triumphum ductus, de gradu, ut perhibent, dejectus eſt. Poſt triumphum in carcerem condito alii tunicam violenter dilaceraverunt, alii vi demere auream inaurem accelerantes, unà infimam auriculam avulſere. Ubi detruſus nudus, & dejectus in infimum carcerem eſt, attonitus, & cavillans: Papæ, inquit, quàm eſt frigidum veſtrum hoc balneum. At hìc cum fame ſex dies luctatus, atque ad extremum uſque vitæ cupiditate hians, dignum ſceleribus ſuis exitum invenit. *Plut. in Mario.*

Styphax Rex Numidarum: cùm à Romanis ad Carthaginenſ. defeciſſet, victus à Scipione, & in triumphum ductus, Tyburi in cuſtodia mortuus eſt.

P. Cor. Lentulus prætor urbis, comprehenſus in conjuratione Catilinæ, juſſu Ciceronis jugulatus eſt in carcere. *Salluſt.*

Publius, Vitellii Imp. patruus, Germanici Comes, poſt præturæ honorem inter Sejani conſcios arreptus, & in cuſtodiam fratri datus, ſcalpro librario venas ſibi incidit: nec tam mortis pœnitentia, quàm ſuorum obteſtatione, obligari, curarique ſe paſſus, in eadem cuſtodia morbo periit. *Sueton.*

Ann. Chriſti 589. Mauricii quinto, Hormiſda Perſarum Rex, cùm Ducem Baram occidere vellet, quòd contra Romanos infeliciter dimicaſſet, ab ipſo captus, & in carcerem conjectus à Coſroe filio in carcere fuſtibus necatus fuit. *Zonaras tomo 5.*

S. Agatha, Virgo Catanenſis, ſub Quintiano Conſule in carcere extincta eſt.

Romanus Martyr ſub Aſclepiade Præfecto in carcere præfocatus eſt.

Aistulphus Longobardorum Rex veritus, ne quid mali in ſe Stephanus II. Pontifex ad Pipinum profectus moliretur, Carolomannum Monachum ad fratrem Pipinum miſit, qui eum adhortaretur, ne Stephani gratia bellum Longobardis inferret. Pipinus eum in Viennenſe monaſterium relegavit, ubi dolore animi, & cruciatu mortuus eſt. *Plat.*

Aldegisius Deſiderii Longobardor. Regis filius, à Carolo Magno victus, & in carcerem conjectus, ibi clauſit vitam.

Ordonius Gothorum Rex in Hiſpania quatuor Caſtellæ Comites per interpoſitam fidem circumventos in carcere necari juſſit, ob eamque rem Caſtellæ Provincia defecit ab ejus fide. *Ritius Neap. l. 2. Regem Hiſpaniæ.*

Garsias Rex Galliciæ à Sancio Rege Caſtellæ, & Navarræ quantumvis fratre regno exutus & captus, neque ab Aldefonſo fratre, qui Sancio ſucceſſit, liberatus fuerat, Aldefonſo quia filium non habebat, propoſuerat eum conſtituere ſucceſſorem. Itaque cùm eſſet infirmus, & ſanguinem minuiſſet, præcepit Rex, ut ſolveretur. At ille: Quando, inquit, Deus noluit, ut in vita ſolveret, ſolutionem renuo moriturus, quinimmò, & mando ſororibus meis, ut me cum cõpedibus ſepeliant Legione, an. 1117. *Roderic. Toletanus lib. 6. rer. Hiſpaniæ, cap. 30.*

Carolus Simplex Francorum Rex, Peronam veniens, ab Heberto Viromanduorum regulo, cujus gratia diverterat, in cuſtodiam conjectus eſt: ubi quoque è vita migravit, duobus luſtris evolutis. *Ritius Neapolitan. l. 1. Regum Francorum.*

Henricus IV. Imp. ab Henrico V. F. captus: Leodii cuſtoditus, pedore carceris miſeram exhalavit animam. *Egnatius l. 9. c. 11. & Æmil. lib. 5. & Cuſp.*

Joannes Pontifex, à Theodorico Gothorum Rege Ravennæ diù, multùmque in carcere excruciatus, fame in eodem defecit. *Sigeb. in Chron. & Crantz. l. 2. cap. 2. Metrop. & Volat. lib. 22. Anthrop.*

Coelestinus V. ex Eremita Pontifex creatus, magis ſolitudini, quàm rebus agendis natus perſuaſus à Benedicto Cajetano, qui ſub Bonifacii IIX. nomine ejus ſucceſſor fuit, ſeſe Pontificatu abdicavit menſe ſexto. A quo poſteà creato Pontifice captus, in cuſtodia interiit. *Volat. lib. vigeſimo ſecundo Anthrop.*

Joannes XV. poſt adeptum Pontificatum menſe tertio à Romanis captus, in mole Hadriani, in publica cuſtodia incluſus, pedore carceris, inedia, & moleſtia animi maceratus, vitam finivit.

Marcellus I. Pontifex à Maxentio Imp. ob Chriſtianam profeſſionem in catabulum ad cuſtodienda animalia publica incluſus, pedore, & ſiti mortuus eſt. *Plat.*

Siculorum 4. millia ab Iſaacio Angelo Imp. Græcorum bello à Guilielmo Siciliæ Rege illato, capta, miſerè fame confecta. *Nicetas lib. 1.*

Napus Turrianus Mediolanenſis tyrannus in clathris ferreis circumductus à Simone Muralto, quem ille eodem modo ſeptem annis concluſerat, tandem in eo carcere periit, fæda illuvie, & enatis ſubinde pediculis conſumptus. *Iov. in vita Othon. Vicecomitis.*

Petrus de Corbario Reatinæ diœceſeos, Ord. Minorum, pſeudopontifex à Ludovico Bavaro creatus, à Bonifacio Comite Piſano Romæ captus, Avenionemque ductus ad Joannem Pontificem ejus nominis XXII. in carcere pedore extinctus eſt. *Volat. lib. 22. Anthrop.*

Ricardus II. Anglorum Rex ob tyrannidem deſertus ab omnibus, in carcere necatus eſt inedia ab Henrico nepote. *Polyd. lib. 21.*

Edovardus II. Anglorum Rex, cùm uxorem, cæteroſque amicos, ac primates Angliæ contumelioſè haberet, ab uxore, filioque Edovardo primam ingreſſo adoleſcentiam comprehenſus, in carcerem conjectus eſt: pravorum ejus conſiliorum ſociis, aut inſtigatoribus verius, Hugone Spenſero, Vvaltero Tapilto, & Joanne Harundelo, è medio ſublatis. Nec ita multò poſt à carceris cuſtodibus interfectus eſt. Impoſita enim primò menſa in ventrem quadrata undique ſumma vi preſſerunt, ſi qua animam ejus poſſent expellere. Voto fruſtrati, per fiſtulam in anum injectam, ferro candente inteſtina perforarunt, ne mors illata, ſed ſponte obveniſſe videretur. *H. Boeth. lib. 14.*

Burcardus Archiepiſcop. Magdeburgenſis à XIV. larvatis in carcere clava occiſus. *Crantz. l. 9. Vandaliæ cap. 13.*

Ludovicus Sfortia à Ludovico XII. Francorum Rege captus, & in Gallias abductus, erepto omni ſcribendi, & quæ cuperet legendi ſolatio, in cavea ferrata mortuus eſt. *Jovius.*

Masius Barreſa, Ferdinandi Neapolitanorum Regis Dux, cùm Joannem Spathaforum hominem ſibi valdè infeſtum, qui ſalutandi regis gratia in arcem ibat obvium in via obtruncaſſet: in carcerem conjectus, aliquot poſt annos illuvie, atque pedore obſitus illic obiit. *Pontan. lib. 2. belli Neapol.*

Cùm Boemi, regni gubernationem, quoad Ladiſlaus, Alberti Imp. Ung. & Boem. Regis poſthumus F. adoleſceret, ſuſcipere ab Friderico III. Imper. juberetur, in primis Ptarſconem, & Mainardum crearunt. Inito magiſtratu, ſimulatam aliquamdiù concordiam ſervarunt: ſiquidem alter Romanæ fidei propugnator, Huſſitarum doctrinæ aſſertor alter erat, & uterque factionum princeps; ne tamen ad arma perveniretur, optimum excogitavere ambo temperamentum, ut pro ſuo quiſque judicio viveret. Haud multò poſt, Ptarſco gravi morbo correptus interiit. Cujus interitu Mainardi au-